

ВЯЧЕСЛАВЪ ИВАНОВЪ.

ОБЩЕСТВА ГОСУДАРСТВЕННЫХЪ ОТКУПОВЪ ВЪ РИМСКОЙ РЕСПУБЛИКѢ.



**DE SOCIETATIBUS
VECTIGALIIUM PUBLICORUM**

POPULI ROMANI.



SCRIPSIT

VENCESLAUS IVANOV.



EX ACTIS SOCIETATIS ARCHAEOLOGICAE CAESAREAE, VOL. VI.




**PETROPOLI.
MDCCCXI.**

OTTONI HIRSCHFELDIO

MAGISTRO

S.



ВЯЧЕСЛАВЪ ИВАНОВЪ.

ОБЩЕСТВА ГОСУДАРСТВЕННЫХЪ ОТКУПОВЪ ВЪ РИМСКОЙ РЕСПУБЛИКЪ.



**DE SOCIETATIBUS
VECTIGALIIUM PUBLICORUM
POPULI ROMANI.**

SCRIPSIT

VENCESLAUS IVANOV.



С.-ПЕТЕРБУРГЪ.

Типографія М. А. Александрова (Надеждинская, 43).

1910.

Напечатано по постановленію Императорскаго Русскаго Археологическаго Общества.

30 марта 1910 года.

Секретарь общества *Б. Фармаковский.*

ARGUMENTUM.

Cap.	I. De antiquissimis publicanorum vestigiis	p.	1
»	II. De societatum ad vectigalia conducenda initarum memoria antiquissima deque incundarum necessi- tate.—de praedibus	p.	12
»	III. De multipartitarum societatum generibus rationibusque.	p.	19
»	IV. De societatis corpore	p.	32
»	V. De similitudine quae est inter societatem vectigalium et rem publicam.	p.	41
»	VI. De mancipe	p.	47
»	VII. De societatis magistro.	p.	51
»	VIII. De vectigalis sociis, conductionis affinibus, sociorum heredibus deque partium ratione.	p.	57
»	IX. De iis, qui sociorum in operis erant	p.	65
»	X. De publicanorum familiis	p.	74
»	XI. De ratione modoque exigendorum vectigalium.	p.	86
»	XII. De singulis societatibus, quaecumque ante divi Augusti principatum cum Italiae tum provinciarum vecti- galia exercuisse inveniuntur.	p.	91
	Addenda.	p.	113

Appendice continetur instrumentum epigraphicum.

l'ultima pagina
per copiare

Libellum fata voluerunt (habet enim sua fata id genus) haud nonum illum quidem pressum in annum, sed per tria fere quinquennia custoditum nunc demum emitti. cuius incohandi auctor Otto Hirschfeldius, conscripti iudex¹⁾ Theodorus Mommsenus praeceptores fuerunt; in lucem denique tandem aliquando proferendi suasor atque adiutor exstitit Michaël Rostovcev amicus. suadenti tamen minus equidem obsecutus essem aut certe invitus, nisi, cum recentia virorum doctorum, veluti Kniepii²⁾, Dietrichii³⁾, Mitteisii⁴⁾, aliorum placita didicissem, quae ipse nihilominus in medium prolaturus essem, ne ita quidem supervacanea fore mihi persuasissem. itaque quae ad usum maxime commoditatemque lectoris pertinere videbantur addenda curavi eaque sane pauca; ceteroquin nulla aut mutanda aut amplificanda censui, ne redintegrata disceptatione nimius essem vel in contra disputando vel in conciliando; neque enim aliis mihi utpote dedito litterarum studiis ab integra confecti opusculi forma longius recedendi facultas erat. atque haec quidem ad excusanda ex aliqua parte si quae forte desiderentur velim valeant; illis autem, quos memori pioque animo discipulus laudavi, magistris clarissimis illique, quem supra nominavi, amicissimo et illustrissimo operis fautori, qui idem, ut est imperatoriae aetatis locationum felicissimus investigator⁵⁾, etiam in titulorum instrumento adaugendo praecipua mihi officia praestiterit, item Societati Archaeologicae Rossicae eiusque qui curam sustinet edendorum commentariorum doctissimo socio Sergio Zebeļev, dum librum ire sino qualem decet esse redivivi, gratias ago pro meritis.

Petropoli, d. Nat. D. a. MDCCCXCIX.

Venceslaus Ivanov.


1) Cf. p. 26 adn. 137.

2) F. Kniep, Societas publicanorum, Jen. 1896.

3) Dietrich, Die rechtlichen Grundlagen der Genossenschaften der röm. Staatspächter II, progr. schol. Afr. 1908.

4) L. Mitteis, Römisches Privatrecht, I, Lips. 1908.

5) M. Rostowzew, Geschichte der Staatspacht in der röm. Kaiserzeit bis Diokletian, Lips. 1902.



I.

Vectigalium locandorum mos quo tempore in rem publicam populi Romani inductus sit quaerentibus nobis¹⁾ oblitterataque eius rei memoria Punici belli secundi temporibus antiquiore²⁾ num altius aliquanto repeti indagando possit periclitantibus non nulla videntur iam pridem constitutarum locationum exstare indicia, obscura illa quidem, sed quo aegrius quisque in hac investiganda antiquitate certioribus auctorum carere solet testimoniis, eo digniora in quibus conquirendis atque expendendis elaboret: quo facto putamus fore ut aut ipsa illius instituti consuetudinisque origo, quoad fieri potest, cognoscatur, aut certe tempus quo haec nequiquam videatur haberi posse recentior accuratius definiatur. etenim ipsi veteres vendendorum emendorumque publicorum tantum abest ut qua aetate memoriam superiorem nullam prodiderunt ab eadem initia repetierint, ut nec rem publicam crediderint ne a regibus quidem esse administratam nisi suppeditibus publicis³⁾, nec publica omnino exerceri posse sine publicanis⁴⁾. nimirum, quam hi in illis exigendis operam ponere solebant, eandem qui in ea re collocarent magistratus apparitoresque prorsus defuisse quoniam

¹⁾ Quam quaestionem qui antehac viri docti attigerunt, sub regibus exstitisse publicanos plerique volunt (Huschke die Verfassung des Kgs. Servius Tullius p. 579 adn. 109; Cohn zum röm. Vereinsrecht, Berol. 1873, p. 163; Dietrich Beiträge zur Kenntniss des röm. Staatspächtersystems, Lips. 1877, p. 9; Hahn de censorum locationibus, diss. inaug. Lips. ph. 1879 p. 9; cf. Mommsen hist. Rom. I^r, p. 265); qui vero nuper tractavit, Karlowa (röm. Rechtsgesch. II pp. 19. 21), ne incunabula quidem publicanorum antiquiora esse populi libertate censet, censura concedit esse superiora, quamquam pleraque quae ad vectigalia locanda conducenda pertinerent a censoribus constituta esse iudicat. nos nostro Marte pugnare et in ferenda iuvat et in defendenda par est sententia.

²⁾ Publicanorum memoria nulla invenitur ea dumtaxat superior, quae locis non nullis cum Plautinis (Trucul. I, 2, 41 sq.; Menaechm. I, 2, 116; Trinumm. III, 3, 793 sqq.; IV, 4, 1107) continetur tum Livianis et iis ad saeculi sexti res pertinentibus, qui loci infra (adn. 63. 64. 65) afferentur.

³⁾ Liv. II, 9, 6; de vir illustr. 5.

⁴⁾ Liv. XLV, 18, 3. cf. Strab. XIII, 3, 6, p. 622 C.: σκόπεται δ' εἰς ἀναισθησίαν ἢ Κόμη κατὰ τοιαύτην τινὰ, ὡς φασιν ἔνιοι, δόξαν, ὅτι τριακοσίοις ἔτεσιν ὕστερον τῆς κτίσεως ἀπέδοντο τοῦ λιμένος τὰ τέλη, πρότερον δ' οὐκ ἐκαρποῦντο τὴν πρόσοδον ταύτην ὁ δῆμος.

inter omnes constat⁵⁾, aut vectigalia ante saeculum Urbis sextum ulla fuisse, si diis placet, infitiandum est, aut iam antea fuisse locata conductaque confitendum. accedunt antiquiorum publicanorum vestigia haud leviter impressa, quae si quis persecutus erit facere non poterit quin in priscam quandam aetatem regrediatur, praesertim cum in nominibus ipsis earum rerum, quae ad vectigalium vendendorum emendorumque rationem pertinent, expressam videat antiquitatis imaginem, quae incorrupta illius aetatis, in quam earum venditionum exordia cadunt, monumenta exstant eiusque ex tenebris eminent⁶⁾. atque, ut ab illorum vestigiorum recentioribus profecti deinceps consecemur vetustiora, per quindecim fere quinquennia quae ante susceptum bellum Punicum secundum proxima sunt, deperditis Livii libris, quorum, nisi fato factum esset ut ipsi desiderarentur, nequaquam a nobis, ut opinor, desiderarentur testimonia, non inopem rem publicam fuisse eorum, qui in primis publica exigenda quaeque exercitui opus erant praebenda conducerent, cum ex ipsius Livii verbis, quippe qui illius belli aequales publicanos e superioribus locationibus crevisse significet⁷⁾, tum ex rei nummariae non nulla progressionem⁸⁾ atque ex portorii portitorumve mentione ea, quam in truncis quibusdam e Festo cum Ti. Coruncanii eius qui consul a. U. 474 fuit commemoratione nescio quo pacto coniunctam offendimus⁹⁾, colligimus fidenter omninoque saeculo ab Urbe condita quinto quantopere iam in vectigalibus exercendis ultroque tributis redimendis floruerint publicani coniectura facile assequimur, dum

⁵⁾ Nihil attinet commemorare tribunos aerarios, per quos tributa civibus imperata exigebantur; nihil praefectos atque exactores qui in civitates imperio p. R. subiectas tributorum stipendiorumve cogendorum causa mittebantur (Liv. XLIII, 2, 12; Caes. de b. civ. III, 32). regia sane aetate vectigalibus exigendis operam quaestores addidisse opinio est (Huschke l. 1.; Karlowa l. 1.); hi tamen num illa aetate omnino fuerint quandoque pecuniam publicam custodire (Cic. de leg. III, 3, 6) coeperint ut missam faciamus quaestionem, certe, quoad longissime repetuntur, numquam eam pecuniam ipsi conquirere (cf. Mommsen röm. Staatsrecht II³ p. 537 adn. 1) exigere a privatis (cf. ib. p. 549 adn. 2) soliti esse reperiuntur; nam quae Livius XXXIII, 42, 4 narrat ad aerarii tuendi curam, non ad rationem exigendi tributi pertinent.—de salinatoribus aerariis dicemus alio loco (c. XII s. f.).

⁶⁾ Publicanorum vestigia antiquiora qui indagamus, nobiscum facit, dum obliteratas quasdam illorum turbas deprehendit, Mommsenus (St.-Recht. II p. 344). qui enim dies tot quot ipsi vellent, ut intercalarentur saeculo maxime sexto a pontificibus impetrare consueverant (Censorin. de die nat. XX, 7; Ann. Marcell. XXVI, 1, 2; Macrob. I, 14; Mommsen röm. Chronol. ed. 2 p. 40 sqq.), iidem lustris quoque condendis moras atque impedimenta inferre quin saepe soliti sint abesse suspicio non potest. quae quamquam tum potissimum moliri ausi esse videntur, cum opibus auctoritateque maxime valebant, tamen etiam saeculo quinto, ut quartum omittam, perturbati lustrorum legitimi ordinis veremur ne fuerint machinatores. verum hoc argumentum premerere nolumus, ne in suspicando nimii esse videamur; neque enim alia nos deficiunt, quibus utamur securiores.

⁷⁾ Liv. XXIII, 48, 10.

⁸⁾ Plin. n. h. XXXIII, 13, 44; Liv. epit. XV.

⁹⁾ Fest. s. v. «portorium» p. 237 M. = p. 302 Thewr.; cf. de Boor fast. cens. p. 77 sq.

e finibus imperii propagatis adauctisque vectigalibus atque ex operum publicorum magnitudine¹⁰⁾ illorum opes aestimamus. quarto porro saeculo non illos sane hercle floruisse. at saltem fuisse suspicantibus nobis ne litterarum quidem memoria plus denegat quam ut id perspici possit, quo perspecto non nulla veri similitudo suspicioni accedat: hoc enim tempore et mancipes et praedes populo obligari ius fuisse liquido apparet, quo iure omnis locationum ratio nititur. nam cum a. 358 M. Furius Camillus dictator Veiiis captis templum Iunoni reginae locasse in Aventino¹¹⁾, itemque censores a. 377 murum saxo quadrato faciendum locasse¹²⁾, a. 319 villam publicam, quae scilicet eadem ultro tributorum redemptoribus aedificanda locata erat, probasse¹³⁾ reperiuntur, tum a. 364 ab iis, qui Urbis reficiendae causa quae publice praebetur materiem accepissent, praedes traduntur populo dati esse, quibus caveretur fore ut eodem anno aedificia perficerentur¹⁴⁾, ut mancipum loco illi aedificatores fuisse videntur. quod si ita est, sequitur ut vectigalia publica, quem ad modum postea solebant, item quarto saeculo, si modo ulla erant, administrari exerceque potuerint; nec vero dubitari potest quin aut omnino tum fuerint aut a publicanis conducta, si quidem iam Appio Claudio censore ultro tributa ita cum vectigalibus cohaesisse iisque respondisse videntur, ut sine his venire non possent¹⁵⁾. sed iam in eam aetatem regressi sumus, qua primi creati sunt censores: quorum «sub nutu atque arbitrio»¹⁶⁾ vectigalia ab initio ita fuisse patet, ut ab iis fruenda locarentur publicanis¹⁷⁾.

¹⁰⁾ Liv. IX, 43, 25 (a. U. 448); X, 1, 9. cf. IX, 29, 6; X, 31, 9; X, 47, 4; epit. XX. Dietrich Beitr. p. 12 adn. 2; huius libelli adn. 68.

¹¹⁾ Liv. V, 23, 7.

¹²⁾ Liv. VI, 32, 1.

¹³⁾ Liv. IV, 22, 7. Hahn de cens. loc. p. 5.

¹⁴⁾ Liv. V, 55, 3. cf. VI, 4, 12 (Capitolium saxo quadrato substructum a. 366).

¹⁵⁾ Diod. XX, 36: *κατανήλωσεν* (Ἀππίος) *ἀπάσας τὰς δημοσίας προσόδους*. cf. ib.: *πολλὰ τῶν δημοσίων χρημάτων εἰς ταύτην τὴν κατασκευὴν ἀνήλωσεν ἕνεκ δόγματος τῆς συγκλήτου*. de ratione quae inter ultro tributa et vectigalia intercedit dixit Mommsen St.-R. II p. 433.

¹⁶⁾ Illa «sub nutu atque arbitrio» a Livio (IV, 8, 2) usurpata (cf. Herzog Gesch. u. System d. röm. Staatsverfassung I p. 790 adn. 4) sic interpretamur, ut ad publicorum locandorum potestatem censoribus datam potissimum referamus; videmus enim in legibus cum Puteolana parieti faciundo (v. 8, C. I. L. I 577 = X 1781) tum coloniae Malacitanae (c. LX, C. I. L. II 1964; cf. Mommsen Stadtrechte der latinischen Gemeinden Salpensa und Malaca, Abh. d. ph. Cl. d. sächs. Ges. d. Wiss. II, 1857, p. 470 adn. 34) caveri ut in publicis locandis conducendis praedes dentur praediaque subsignentur magistratum arbitratu.

¹⁷⁾ At enim Herzog (l. l. adn. 3): «Livius rechnet die Fürsorge für die vectigalia p. R. zu den erst später hinzugekommenen Befugnissen (sc. der Censoren)». quid? cum equitum centurias sub dicione eius magistratus postea fuisse ait, num centuriarum descriptionem initio in censorum cura minus fuisse significat? ita ne de vectigalibus quidem dicit quicquam, quod obstet quominus tuendorum eorum potesta-

neque tamen in eo subsistimus, ut haec colligamus; sed, quoniam ab initio censurae publicorum locationes cum census agendi negotio coniunctas fuisse pro certo habemus, hanc rem, «operosam» illam¹⁸⁾ ac «minime consularem», quam tamen, priusquam a censoribus gereretur, consulibus curae fuisse Livius ait¹⁹⁾, etiam ante institutam censuram partim in vectigalibus utroque tributis locandis constituisse adducimur.

Iam vero, si quid nobis ratiocinando efficere contigit, id non fere veremur ne ei non liqueat, si qui populi Romani vectigalia, quatenus fuissent principio utque sensim amplificata essent, animo perlustraverit. quae, ut in augescente re publica, cum in dies plura opus essent, saeculo potissimum quarto populus ita tueri et defendere instituit, ut tunc certe publicano carere non posset. quid loquar de lege quam a. 397 in aerarii inopia Cn. Manlius consul «ad Sutrium in castris tributim de vicensima eorum, qui manu mitterentur, tulit»²⁰⁾? a. 330 vectigal ut imponeretur agrorum possessoribus, unde stipendium miles acciperet, plebs contendit²¹⁾. omittere perquirere quando illa impetravit quae tum optaverat²²⁾ neque id rimamur, novamne tum rem temptarit an ab initio ager publicus a privatis occupatus vectigalis fuerit, ut tamen postea desitum sit a possessoribus debitum pensitari vectigal²³⁾: quae res

tis initia a censurae ortu usque repetamus. iam et Cicero, cum censorum iura ita enumerat (de leg. III, 3, 7), ut ab antiquissimis exorsus ad recentiora progredi videatur, illius potestatis in primis facit mentionem, nec facere primi potuerunt censores ut non pascua publica, veluti salinas Ostienses, eorumque, qui iis fruebantur, nomina atque iura in tabulas, quarum cura ipsis subiecta esset, referenda curarent.

¹⁸⁾ Cf. Mommsen St.-R. II p. 425 adn. 2.

¹⁹⁾ Liv. I. I.

²⁰⁾ Liv. VII, 16, 7.

²¹⁾ Liv. IV, 36, 2.

²²⁾ Gracchorum aetate hoc vectigal institutum esse opinatur Karlowa (Rechtsgesch. II p. 23); paulo post a. 348, quo anno senatus de pecunia in stipendium militum eroganda decrevit (Liv. IV, 59, 11; cf. Mommsen hist. R. I² p. 293), id factum esse Lange (röm. Alterth. I³ p. 668 sq.) existimat; qui tamen cum tribunos illud decretum ideo impugnasse affirmat, quia, ut erant assiduorum fautores, agri publici possessoribus imponi vectigal, ex quo stipendium militibus daretur, nollent, Livii testimonia iniuria contempsit, quippe qui et tribunos non de huius vectigalis, sed de tributi onere civibus iniungendo contionantes inducat, et re vera indictum esse tributum tradat (IV, 60). quin etiam a. 397 id vectigal nondum fuisse crediderim; videtur enim novum illud publici genus, quod vicesimam manumissionum appellaverunt, a patribus excogitatum esse maxime eo consilio, ne agrorum vectigalia pensitare cogerebantur (cf. Liv. VII, 16, 7: ea lege haud parvum vectigal inopi aerario additum erat). quae ante a. 543 exigi coepta esse ut existimemus eadem ratione adducimur: namque hoc tempore aerarium sanctius fuisse certum est (Lange II p. 26), ubi aurum vicesimarium ad ultimos casus servabatur (Liv. XXVII, 10, 11) ita, ut cetera vectigalia cotidianum rei publicae sumptum suppedirent.

²³⁾ Quod vereor ne sine causa Karlowa (I p. 96; II p. 23) et Weber (röm. Agrargesch. p. 126 sq.) negarint (cf. etiam Herzog I p. 164; contra iudicat Schwegler hist. R. II p. 436), cum et Appianus (de b. c. I, 7) semper eo iure fuisse possessores, ut id vectigal dare

utcumque se habet, certe tum plebes, dum patrum dominatum refringere conatur legesque agrarias agitavit²⁴), animum induxit eniti atque efficere ne agri publici vectigalia, si quae populo deberi videbantur, in privatorum sumptus abirent; quae ut recuperarentur profecto ne pugnasset quidem, nisi ea, quae flagitabat, nullo negotio effici posse, instituta locatio ne, intellexisset. accedit quod is rerum scriptor, quo Livius usus auctore plebis illas contentiones memoriae tradidit, has cum narraret, haud scio an plane plebem dixerit agrorum vectigalia fruenda locari voluisse²⁵). unde hac publicorum exercendorum disciplina populum ita tum assuetum fuisse apparet, ut iam pridem illa usum esse suspicari liceat. quodsi quaeritur quaenam vectigalia vel ineunte saeculo quarto venire solita esse putemus, vetustissimi illius publici, quod scriptura appellabatur, initia inde usque repetere non dubitamus. qui enim fieri potuisse credas ut in C. Licinii L. Sextii lege agraria a. 378 promulgata, a. 387 accepta de certo pecudum in agro publico pascendarum numero caveretur²⁶), nisi constituta

deberent, significet, et ipsum «vectigalis» vocabulum iuris illius indicet vetustatem, ut regia aetate qui agris publicis fruebantur ex his in Urbem vectare fructus pecudesque agere soliti esse, quae regibus vectigalia praestarent, videantur; id quod sine publicano fieri potuisse facile intellegitur.

²⁴) Lange Alterth I p. 669.

²⁵) Cum enim ea, quae de Sp. Cassii lege agraria traduntur, maxima ex parte falsa ementitaeque putanda sint (cf. Mommsen röm. Forsch. II p. 164), haud perperam, reor, Schweger (hist. R. II² s. 408) de Dionysii illis «τινὲς δὲ γῆν πενταετῆ μισθοῦν χρόνον» (VIII, 73, 3), collata ea, quam modo laudavimus, rerum a. 330 gestarum narratione Liviana, iudicat, qui Dionysium et quae de vectigalium locatione tradita invenisset minus recte intellexisse, et ipsum locum ex anni 330 memoria depromptum orationi quam Appium Claudium de illa lege in senatu habentem finxit inclusisse suspicatur.

²⁶) Quae huic rei testimonio sunt Appiani (b. c. I, 8) verba, quae sunt: «μηδὲ προβατεύειν ἑκατὸν πλείω τὰ μείζονα καὶ πεντακισίων τὰ ἐλάσσονα», cum ceteri viri docti auctore Niebuhrio (hist. R. III p. 19 ed. 1832) interpretantur ita, ut pecudes plures in agrum publicum pastum agere nemini licuisse, scripturam autem pro omni pecore, quodcumque ibi pasceret, dari oportuisse statuunt, tum quidam sic, ut pecudum illum numerum sine scriptura pascere uni cuique civium ius fuisse sibi persuaserint; quam sententiam cum primus tulisset Mommsenus (Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. II, 1850, p. 90 adn. 2, C. I. L. I¹ p. 91), ut tamen alio loco ab ea recessisse videatur (hist. R. I⁷ p. 294), Weber (röm. Agrargesch. p. 130 adn. 11-a) secutus est, sed ita tamen, ut Licinia lege institutam scripturam esse, quae, credo, ab iis, qui maiorem pecudum numerum haberent, pro reliquis solveretur, dum conicit, a Mommseno idem dissentiat, quippe qui eam ab antiquissima aetate repetere solcat (hist. R. I⁷ p. 71), quid igitur est? itanc lege agraria a. 643 lata ne boves plus deni, oves, ut Rudorffius docuit, plus quinquagenae sine scriptura pascerentur cautum est (C. I. L. I 200 vv. 14, 26), ut tantum detraheretur de antiquissimo iure civium, videlicet quia pascua publica essent deminuta? at ne Gracchi quidem plus recusarunt civibus quam quae C. Licinius L. Sextius denegarant: quid vero de illius legis latoribus iudicandum est, qui id egerint, ut contra Gracchanas leges divites defenderent pristinumque rerum statum revocarent? iam Cato cum negat damnari posse cum, qui plus quingenta iugera agri maioremve pecudum numerum habere voluerit, nisi habuerit (or. pro Rhod. 5, p. 24 Iord.), significat non secus pecudum in agro publico pascendarum quam iugerum possidendorum numerum fuisse praefinitum. Niebuhrianæ igitur

illius vectigalis locatione pecuarii quod pecus ante id tempus inscriptum nec numeratum a publicano paverant apud scripturarios profiteri coacti essent? quod tamen minus ipsa lege quam ante hanc latam factum esse veri simile est videnturque ii, qui tulerunt, ad exsequenda iura publica quae condebant idonea instrumenta habuisse scripturarios custodias in saltibus publicis collocatas tabulasque publicanorum²⁷⁾. neque enim Plinianum illud «diu hoc solum vectigal fuerat»²⁸⁾ tale est, quod aut in saeculi quarti tempora minus quadret, aut nisi ad antiquiorem aliquanto aetatem referri non possit: nam illo quidem saeculo nec portoria, nedum vicesima, exigi solita esse²⁹⁾, et omnino tam parva fuisse populi vectigalia,

sententiae nosmet assentimur. an pecuarii, qui, cum pascua publica depascere consuessent, saepius ab aedilibus pecunia multabantur (Liv. X. 23, 13; 47, 4; XXXIII, 42, 10; XXXIV, 53, 4; XXXV, 10, 12; Pauly Real-Encykl. s. v. «pascua» V p. 1215 ed. 1.; Madvig Verfass. u. Verw. d. röm. Staates II p. 368), eo nomine condemnabantur, quod scripturam non dedissent, id quod publicani, non aedilis intererat? nonne eo, quod in pascua publica invasissent? nam si quis contra dixerit conieceritque antiquiore aetate aediles, non publicanos scripturam curasse exigendam, hoc argumento confutabitur, quod vel medio saeculo septimo damnationes illae pecuariorum etiam tum fieri solitae esse reperiuntur (Cic. de or. II, 70, 284); igitur ne hac quidem aetate pecudes certo numero plures in agro publico pascere cuiquam licebat.

²⁷⁾ Dubitamus an hinc illud ius manarit, quo sanctum est ut publicanorum tabulae in publicis instrumentis numerarentur (de quo iure infra dicemus). quodsi primum eorum, qui pascua conduxerant, tabulis auctoritas publica attributa est, non est sane quod miremur pascuorum potissimum vectigal scripturam esse appellatam.

²⁸⁾ Plin. n. h. XVIII, 11: etiam nunc in tabulis consoriis pascua dicuntur omnia ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat.

²⁹⁾ Portoriorum memoria antiquissima aequalis est saeculi sexti (Liv. XXXII, 7, 3; XL, 51, 8) vel etiam exeuntis quinti (v. adu. 9), nisi quod anno post reges exactos altero portorii et tributo liberatam plebem esse, ut scilicet divites conferrent, qui onerifereendo essent, Livius narrat (II, 9, 6). quod quidem testimonium nequaquam contemnendum esse censemus (cf. Herzog I p. 137 adu. 1): neque enim commentis videtur inquinatum esse Valerii Antiatii, sicut ea, quae Plutarchus (Poplic. 11) Dionysiusque (V, 22) tradiderunt, qui illam immunitatem Poplicolae beneficio tribuerunt; et idem voremur ne nullam veri habeat similitudinem. nam neque portorium id publicum est, in quo exigendo discrimen ullum esse possit inter ordines civium, et, si exportandarum peregrinarumque mercium portoria intellegenda sunt, non ad pauperum quaestum pertinuerint necesse est, sed ad magnam et copiosam mercaturam, ut per se ipsum vel probabilius sit quod est apud Plutarchum, omnino τὰ τέλη τῶν πολιτῶν esse sublata. itaque τέλη illa, quorum cum Plutarchus tum Dionysius faciunt mentionem quaeque Livius haud scio an apud Fabium invenerit, vel aliud quoddam accipimus vectigal a regibus impositum (quae enim sub regibus fuerint cum vectigalia tum munia civium fere nescitur), vel etiam promercalium, quo sublato mirum non est mercatores tenues opificesque προθυμότερον, ut Dionysius ait, potuisse ἀπτα. σθα: ἐργασίῳν. portoria autem expulsis regibus nulla fuisse perspicuum est: vix enim fieri potuit, ut aut inops aerarium esset, si fuissent, aut divites, qui tum transmarina negotia gessisse videntur (cuius rei causa antiquissimum factum est cum Carthaginiensibus foedus Polyb. III, 22), dominationem assecuti, id onus suapte sponte sustinerent. accedit quod portorium si esset scriptura antiquius, ipsum ab inscribendis mercibus appellatum esset scriptura.

ut pecunia vel ad stipendia militibus danda vel ad murum a censoribus locatum saxo quadrato faciendum nisi indicto tributo confici non posset³⁰⁾, perspiciuntur; superioribus autem saeculis, etiamsi impositum pascuis fuisse vectigal fateamur, nihilo minus eis, qui agrorum vectigalia pendere desiissent, veremur ut illud quoque retinere religio fuerit, praesertim cum iidem non modo ut pecus profiterentur cogi nullo pacto potuisse, verum etiam, dum publicos depascunt saltus privatorumque in agrum compascuum invadunt³¹⁾, nequaquam aerarii ius privatorum iure antiquius duxisse videantur. accedit quod in antiquissimis censorum tabulis eodem teste Plinio populi reditus nulli inveniebantur nisi ii, quos e pascuis publicis haberet. non multo igitur ante quam de agrorum vectigali plebes contenderet pecuarios, ut huic erant odiosiores, pascuorum rite locandorum consuetudine introducta ita coercitos esse, ut et vectigal publicano dare et pecus apud eum profiteri lege iuberentur, arbitramur. tunc etiam «scripturae» nomen pascuorum vectigali impositum esse facile intellegitur: quod quidem ut cum pecoris profitendi iure cohaerere putemus, non solum Varronis nos adducit testimonium³²⁾, verum etiam tritum illud cum scripturariorum tum portitorum sermone vocabulum quod est «in scriptus»³³⁾ postulat, cuius vis eadem est, quae in usitato illo quoque ac publicanorum consuetudinis proprio, sed minus antiquo «improfessus»³⁴⁾ inest. quid quod illud «in scriptus» cum adventicium se esse vocabulum prae se ferre videatur³⁵⁾, tum idem sonat, quod ἀναπόγραφος³⁶⁾? itemque scripturae ipsum nomen ita graeca illa ἀπογράφεσθαι, γράφεσθαι, ἀπογραφῆ³⁷⁾ refert, ut eos, qui pascuorum vectigal quidam scripturam appellaverunt, graecas has voces reddidisse appareat. quid? etiam aliarum rerum ad vectigalia eorumque

³⁰⁾ Liv. IV, 60, 4; VI, 32, 1. cf. Ihne hist. R. I p. 115.

³¹⁾ Ovid. fast. V, 283 sqq.

³²⁾ Varr. de r. r. II, 1, 15: ad publicanum profitentur, ne, si in scriptum pecus paverint, lege censoria committant. cf. Fest. p. 333 M.: scripturarius ager publicus nominatur, in quo ut pecora pascantur certum aes est; quia publicanus scribendo conficit rationem cum pastore. in publicanorum tabulas inscribebantur pecudum quas quisque profitebatur numerus notaeque iis pecudibus iustae, id quod colligimus e titulo Orchomenio (C. I. Gr. I 1569 a) saeculi ante Ch. n. quarti vel tertii, in quo titulo haec leguntur: ἀπογράφεσθαι δὲ Εὐβωλὸν κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον πᾶρ τὸν ταμίαν καὶ τὸν νομώναν τὰ τε καύματα τῶν προβάτων καὶ τῶν ἡγῶν καὶ τῶν βούων καὶ τῶν ἵππων, καὶ κά τινα ἄσσημα ἰωνθί, καὶ τὸ πλῆθος.

³³⁾ Varr. l. 1.; Lucil. sat. 27, 20 (Lachm. v. 627).

³⁴⁾ Quint. decl. 341; Dig. 39, 4, 16, 1.

³⁵⁾ Hoc verbo uti solent Romanorum auctores, ut graecum ἀγραφος reddant (v. Forcellini Lex. s. h. v.).

³⁶⁾ Boeckh Staatshaushaltung der Athener I ed. 3 p. 408.

³⁷⁾ Ib. I p. 67. 70 adn. a. 594.

locationes pertinentium nomina latina iis, quibus easdem res Graeci in ipsorum civitatibus signare consuerant, mirum quam similia sunt³⁸). quam tamen verborum similitudinem, si quis res quae iis notari solitae erant contulerit, non vereor ne magis quam eam, quae inter utriusque nationis institutiones est, demiretur³⁹). videntur igitur Romani huius modi instituta civitatum Graecarum ad suum usum moremque transtulisse, sed ita tamen, ut, si quae ipsi id genus incohaverant quasi denuo constituerint, quae autem nova iis a Graecis adsciscere visum erat, ad patria iura ac domesticam rei publicae disciplinam quodammodo accommodarint. quae cum ita sint, quoniam saeculo quarto duce plebe populum vectigalibus suis providisse demonstravimus, quis est quin suspicetur illam rerum mutationem, quae ex plebis voluntate decem virorum legibus scribendis imperio facta erat, ad publicorum quoque locationes vel instituendas vel commutandas momenti aliquantum attulisse, praesertim cum paucis annis post novi magistratus creati sint quibus cum alia tum etiam hoc negotium daretur? etenim omnino veri simile est eos, qui duodecim tabulas scripserunt, etiam illas locationes respexisse, ut quae lex «omnis publici privati que iuris fons» esset⁴⁰) ea ad hanc quoque rem redundaret quaque lege de vadibus subvadibusque⁴¹), de privatarum rerum locationibus⁴²), de nummis⁴³) denique cautum erat eadem praevidum⁴⁴) atque aerarii publicorumque vendendorum iura continerentur. iam si quid a Graecis populus Romanus videtur didicisse, quod ad vectigalia administranda pertineret⁴⁵),

³⁸) Conferantur exempli gratia: δημόσια, publica; δημόσια ὀνεῖσθαι, publica emere; ἐπόνηα, promercalia; ἐγγυητῶν διδόναι, γράφειν, ὑποτίθεσθαι, praedem dare, subsignare, subdere; τέλος λιμένος, vectigal portus (v. Stephani Thes. s. h. vv.). vox denique quae est ἀρχώνης (Boeckh I p. 384 sq), quamquam «mancipis» nomen vernaculum in promptu erat, nihilo inus in forensem sermonem atque usum translata est, ut «emptionis auctor» manceps appellaretur (Fest. p. 152 M.). quod fugit Hahnium (de cens. loc. p. 7), negat enim cum «in magno numero vocabulorum appellationumque» quae ad locationes pertineant tum «in ratione ipsius instituti ulla posse inveniri indicia rei adventiciae».

³⁹) Cf. e. g. Boeckh I pp. 188. 384 sqq. 406 sqq.

⁴⁰) Liv. III, 34, 6.

⁴¹) Schoell leg. XII tab. rel. I, 10 (Gell. n. A. XVI, 10, 8). cf. Liv. III, 13, 8.

⁴²) Schoell XII, 2 (Gai. inst. IV, 28).

⁴³) Mommsen Gesch. d. röm. Münzwesens p. 175 sq.

⁴⁴) Praevide = praevades: Corssen üb. Aussprache, Vocalismus und Betonung der lat. Spr. II 399. 415 (ed. 2).

⁴⁵) Didicit autem ex illis, quantum nos sentimus, maxime ea, quae ad modum fruentorum pasuorum, deinde ad ultro tributorum vectigalibus quodammodo exaequandorum rationem, denique ad praedum praediorumque pro mancipe aerario obligandorum ius pertinebant. in societatibus ineundis publicani utrum Poenorum disciplinam, quae Huebneri sententia est (die röm. Herrschaft in Westeuropa p. 273 sq.; C. I. L. II S. p. 795; Eph. Ep. III p. 173), an Graecorum imitati sint, quod nobis probabilius videtur rationem habentibus eorum, quae

id huius legis conditoribus potissimum attribuere consentaneum est, quos Graecarum civitatum moribus iuribusque pernoscendis studuisse eo, ut partim illa in propriam rem publicam inducerent, satis constat ⁴⁶).

Ac, nisi coniectura aberramus, haec fere initia fuisse opinamur eius quidem vendendorum emendorumque publicorum consuetudinis, quam inde per omne tempus populus Romanus servasse reperitur. quoniam vero publicanorum ortum a fonte repetere curamus, iam longius nobis progrediendum est idque quaerendum, sintne etiam ante scriptas duodecim tabulas publicorum locationes fieri solitae atque utrum iam illo tempore fuerint publicani sive qui ad horum similitudinem propius accessisse videantur necne. quod quominus plane negemus, haec maxime impediunt: nam non solum opera publica in libera civitate numquam nisi per redemptores facta esse necesse est ⁴⁷), verum etiam ut «mancipis» nomen antiquissimam quandam eius moris, in quem inquirimus, eamque vernaculam indicare videtur originem ⁴⁸), ita ex iis, quae de vetustissima salinarum publicarum exercendarum ratione tradita sunt, privatos illos, qui iis salinis fruebantur, regibus iam vectigal pensitasse apparet ⁴⁹). etenim assentimur viris doctis qui negant vectigal a. 550 e salaria annona statutum, quod novum dicit Livius ⁵⁰), re vera novum fuisse, nisi quod, quae salinae ad id tempus parva quadam pecunia nummove uno locata essent, tum eas maiore pretio venire coeptas esse concedunt ⁵¹). namque altero iam post reges exactos anno salis vendendi arbitrium ut publicum redderetur privatisque adimeretur, cuius rei testis Livius est ⁵²), vix effici potuisse arbitramur, nisi

Gaius de societatum negotiationis causa incundarum (cf. Mommsen de coll. et sodal. Rom. p. 39) iure in XII tabulas e Solonis legibus translato tradit (Dig. 47, 22, 4), nolumus dubitare, quia ex praedum obligandorum iure societatis ius necessario consequi arbitramur.

⁴⁶) Cf. Mommsen St.-R. III p. 253 adn. 2.

⁴⁷) Cf. Dionys. VI, 17: καὶ τῶν κατασκευῶς ἐξέμισθωσε (sc. Ποστώμιος a. U. 258); VI, 96 (Dietrich Beitr. p. 13 adn. 3).

⁴⁸) Antiquiore aetate mancipis putamus solitos esse dici omnes qui rem aliquam a populo accepissent sive dominio possidendam, ut postea sectores, sive fruendam, ut agrorum mancipis (cf. Fest. p. 151 M.), mancipique res appellatas, quae addici sub hasta solerent; cum autem nulla res propria cuiusquam esse videretur, nisi ei assignata esset a populo, mancipationem institutam esse, quo facilius is, qui ipse manceps non esset, in mancipis ius ita posset succedere, quasi rem ipse a populo accepisset (cf. Puchta Inst. II p. 200 sq. ed. 9; Kunze Ex-course ed. 2 p. 109; Rein ap. Pauly Enc. VI ed. 1 p. 458 s. v. «res mancipi»).

⁴⁹) De vir. ill. 5: Ancus Marcius—salinarum vectigal instituit. Plin. n. h. XXXI, 41, 89: Ancus Marcius salinas primus instituit. Liv. I, 33, 9: Ostia urbs condita, salinae circa factae.

⁵⁰) Liv. XXIX, 37, 3.

⁵¹) Mommsen St.-R. II p. 440 adn. 3; cf. III p. 1115 adn. 2. Cohn zum röm. Vereinsrecht p. 162 sqq.

⁵²) Liv. II, 9, 6.

quaecumque tum publicae erant, etsi a privatis tenebantur, salinae ea condicione locatae essent, ut certo pretio sal populo a mancipibus praeberetur. unde intellegimus a. 550 censores ad refrenandam sociorum salariorum libidinem eodem fere remedio usos esse, quo iam antea rei publicae in salis caritate subventum erat, acri illo, nisi quod quae tum senatus decrevisse traditur postea obsoleverunt. regia igitur aetate salinarum fruendarum ius id fuisse perspicuum est, ut qui eas obtinebant vectigal quidem regibus tenue quoddam solverent, quominus autem salis vendendi pretium suo arbitratu constituerent nulla locationis lege prohiberentur. nec vero conductas videntur habuisse salinas, sed eo iure occupatas potius, quo iure agri publici ex magistratum edicto permissuque a privatis occupari possiderique solebant⁵³), quamobrem et privatos illos Livius dicit neque ullam facit locationis mentionem. itaque ne publicanos quidem illos antea appellari potuisse intellegimus, quam expulsis regibus constitutoque publico aerario salinarum exercendarum ius, quod privatorum possessorum fuerat, publicum fieret populi Romani⁵⁴).

Atque eas quidem quaestiones, a quibus ordiri nobis visum erat, quo magis publicanorum instituta et unde et qualia manassent cognoscerentur, brevius quidem percursas quam si de his solis disputaremus, quantum in nobis erat, profligavimus; nunc vero quasi e tenebris in lucem nos revocamus ab obscura illa atque obsoleta antiquitate indaganda ad pervestigandam aliquanto clariorem certioribusque illustratam testimoniis. quam quidem priusquam ingredimur, de publicorum locandorum consuetudine non ad privati auxilii commoditatem necessitatemve magis quam ad civium Romanorum ius rebus quaecumque publicae populi Romani factae sunt fruendi referenda praefari pauca iuvat, quibus moneamus ne quis publicanorum causam populari quadam, ut saepe fit, trutina potius quam antiqua et romana examinare malit. etenim illi, partim quia socios iniuriosius tractare consuerant⁵⁵), partim quod ex optimatum laborabant invidia, partim denique quod, etiamsi iniurias nullas fecissent, nomine ipso peregrinis

⁵³) App. b. c. I, 7; Lange Alterth. I p. 158.

⁵⁴) Cf. Mommsen hist. R. I 265: wichtiger war die Ausdehnung der finanziellen Geschäfte des Aerars auf solche Unternehmungen, die regelmässig von Privaten betrieben wurden: es führte dies in Verbindung mit der geringen Zahl und dem schnellen Wechsel der römischen Beamten zu einem System der indirecten Finanzverwaltung,—dessen Keime wahrscheinlich hier, namentlich in dem Salzmonopol, zu suchen sind.

⁵⁵) Cic. ad Q. fr. I, 11, 33: non ignoro quid sociis accidat in ultimis terris, cum audierim in Italia querelas civium.

offensi erant ⁵⁶), in acerbissimum odium permultis venerunt, unde non nullum fructum Caesares tulerunt, quo facilius illorum opes inimicorum impetu iam antea aliqua ex parte debilitatas penitus labefactarent, proprias opes subiectis ipsorum tutelae vectigalibus auferent; quo facto etiam despiciatui duci coeptum est afflicti attenuatique nomen publicani. ita fit ut apud antiquiores quidem auctores multae inveniantur publicanis infensae vociferationes indignantium, apud recentiores vero etiam contemnentium cavillationes ⁵⁷) caeque fere Graeculorum. quid ergo est? poenituitne publicanorum potentiae populum Romanum? immo vero hanc ille suae libertatis indicem esse semper duxit ⁵⁸). praetermittimus Tullianas publicanorum laudationes: C. Gracchus nobis Polybiiusque testes sunt. an quid aliud significat illud «πάντα χειρίζεσθαι συμβαίνει—διὰ τοῦ πλῆθους» ⁵⁹)? Gracchorum, inquit, beneficio illud institutum factum est populare: at fieri non potuit, nisi sua natura fuisset. ecquid enim popularius esse potest quam id ius, quo iure iis, quae publica facta sint, frui liceat civibus ⁶⁰)? quodsi haec illius instituti natura est, facile est intellectu, cur nemini nisi civi Romano ingenuo ad hastam censoriam accedere licuerit quaque de causa

⁵⁶) Cic. l. l.: nomen publicani neque ii debent horrere, qui semper vectigales fuerunt, neque ii aspernari, qui per se pendere vectigal non potuerunt, neque ii recusare, qui postulaverunt.

⁵⁷) Quod C. Marius δοκῶν γεγονέναι δημοσιώνης παρεθεωρεῖτο (Diod. XXXIV — XXXV, 65; cf. Herzog I p. 1049 adn. 3), ad eum morem maxime revocandum est, quo magistratus publici quique in horum cohorte erant prohibiti sunt quominus socios haberent publicanos (Verr. III, 56, 130).

⁵⁸) Tacit. ann. IV, 6 sq.: congruens crediderim recensere ceteras quoque rei publicae partes, quibus modis ad eam diem habitae sint, quoniam Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus fuit.—frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum societatibus equitum Romanorum agitabantur.— quae cuncta non quidem comivis, sed horridus ac plerumque formidatus retinebat tamen, donec morte Drusi verterentur. XIII, 50: eodem anno crebris populi flagitationibus immodestiam publicanorum arguentis dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti iuberet,— sed impetum eius attinuerunt senatores (dubitari enim non potest quin haec codicis Medicei II lectio genuina sit; quam emendare conatus Lipsius magno criticorum assensu commentus est «seniores») — docendo — plerasque vectigalium societates a consulibus et tribunis plebei constitutas acrietiam tum populi Romani libertate.

⁵⁹) Polyb. VI, 17, 3. cf. Mommsen St.-R. III p. 510 adn. 2.

⁶⁰) Cum publicorum locationibus comparari posse crediderim praedae venditiones, praesertim cum et, qui hanc emere consuerant, sectores in publicanis numerentur (Suet. Oct. 24; Cic. pro Rosc. Am. 8, 21; cf. Karlowa II p. 9), et illae locationes, ut erant venditiones eorum fruendorum, quae de hostibus capta populi praedia (cf. Verr. II, 3, 7) facta erant, sub hasta fieri solitae esse reperiantur. porro quae Livius de vendendorum Porsenae regis bonorum causa exponit (II, 14) testimonio sunt, quae populi bona facta essent, ea hoc potissimum consilio venire solita esse, ut rite impertirentur civibus non populo immisso diriperentur.

nec vectigalia exigi potuerint sine publicano, nec per publicanum tributa civium ⁶¹⁾. itaque quod ius in praediis populi Romani exercendis spoliandisque provinciis inhumanius persecuti sunt publicani, victoris populi esse ius putamus ⁶²⁾, etsi non infitiamur hac quoque re Terentianum illud comprobari: «summum ius summa iniuria». sed iam de antiquissima publicanorum memoria, quaenam sit, videamus.

II.

Publicanorum quae exstat memoria antiquissima, eadem ad societates quas inire illi consuerant pertinet, ut hic ordo, quoad longissime repetitur, societatibus constitisse reperiatur. quam qui solus scriptor prodidit T. Livius, cum primum in eorum, quos publicis redimendis patrimonia auxisse ait, mentionem incidit, societates tres hominum undeviginti a. U. 539, quaecumque res ad exercitum Hispaniensem alendum sustentandumque opus essent, iis in summa aerarii inopia redemptis subministratisque patriae credendo optime de re publica meritas esse narrat ⁶³⁾. interiecto deinde biennii spatio quae gesta sint dum refert, T. quendam Pomponium Veientanum, quod, qua improbitate infidelitateque erat, per annos complures cum rem publicam publicanus tum societates damnis affecerit, notat eandemque ignominiam M. Postumio Pyrgensi eidem publicano inurit dataque occasione eodem loco publicanorum ordinem plurimum tum in re publica ut auctoritate atque gratia ita vi audaciaque potuisse ostendit ⁶⁴⁾.

⁶¹⁾ De qua re paulo secus Karlowa indicat, cum ait (II p. 19): warum haben die Römer nicht auch die Erhebung des tributum an Publicanen verpachtet?—über die Vectigalien disponirt der populus als Eigenthümer, und es hat rechtlich nichts Anstössiges, dass er ein auf seinem Grundeigenthum beruhendes Vermögensrecht durch staatliches Vermögensgeschäft einem Privaten überträgt; die Auferlegung des tributum aber erfolgt mittels des imperium.

⁶²⁾ Liv. XLV, 18, 4: locationes—tolli placebat, nam—ubi publicanus esset, ibi autius publicum vanum (scilicet quia publicanus ius suum, quod ipsum publicum ius esset, exsequi minus posset), aut libertatem sociis nullam esse.

⁶³⁾ Liv. XXIII, 48, 10 sqq.; 49, 1 sqq. Pauly R.-Encykl. VI p. 247 ed. 1; Dietrich Beitr. pp. 12. 17.—cf. Liv. XXIV, 18, 10 sqq. (a. 540): cum censores ob inopiam aerarii se iam locationibus abstinerent aedium sacrarum tuendarum curuliumque equorum praebendorum ac similibus his rerum, convenerunt ad eos frequentes qui hastae huius generis assueverant ceter.

⁶⁴⁾ Liv. XXV, 1, 4; 3, 9. 12 sqq.—locationes ultra tributorum sacculo sexto factas investigavit Leist z. Gesch. d. röm. Societas pp. 39. 42 adn. 30.

vectigalia denique conducta rerum scriptor, cum M. Porcii L. Valerii (a. 570) censuram exponit, tandem aliquando commemorat⁶⁵) et quidem sic, ut nescio qua ratione inter se coniunctos publicanos, cum priorem locationem iudicati essent, hac inducta ab hasta censoria submotos esse tradat: quo censorum edicto, si modo re ipsa, non nomine tantum valuit, dubium non est quin cautum sit ne iis, qui a conductione exclusi essent, aliorum nomine vectigalia redimerentur⁶⁶). quod si ita est, iam tralaticium illud edictum agnoscimus, quo, quoniam ne in privata quidem locatione socium conductori ullum habere licebat nisi quem dominus iussisset⁶⁷), veteres publicani quominus novarum conductionum socii aut participes, non modo auctores fierent, quotiens res postulabat, prohibebantur. hoc nimirum minime nobis ignotum, cum apud Livium invenitur non ad verbum ab illo quidem transcriptum⁶⁸), tum integrum exstat traditum a Cicerone idque ita conceptum, ut ipso sermone antiquiorem prae se ferat originem societatisque publicanorum facile vetustissimum monumentum habendum esse videatur⁶⁹). quae cum ita sint, perdignam memoria rem esse arbitramur, quod qui hoc edictum primi proposuerunt magistratus, dum ei, quem hasta arcere constituerant, primum ne cuius socius esset, dein ne partem haberet in publico, postremo ne ipse redimeret interdicerent, tanti putaverunt societatem, ut, si quem hanc inire vetuissent, satis fere ne quod publicum conduceret praecavisse providissequae sibi viderentur. quid loquar de operibus publicis, velut iis, quae a. 442 Appius Claudius censor facienda curavit, immensis illis ac maximae impensae neque iis profecto, quae singuli redemptores nullis adjuvantibus sociis perficere potuerint⁷⁰). quodsi prisci illi publicani sociis carere minime potuisse perspiciuntur, quantopere hos recentes, qui post Gracchos floruerunt, se ad societates ineundas applicavisse putes? qua quidem aetate sane nullum reperitur vec-

⁶⁵) Liv. XXXIX, 44, 8.—agrum Campanum publicum p. R. factum (XXVI, 16, 8) anno iam 544. 545 fructum locatum esse Livius commemorat XXVII, 3, 1; 11, 8.

⁶⁶) Cf. Plut. Cat. mai. 21.

⁶⁷) Cat. de agr. cult. CXLV, 8. Karlowa II p. 67 adn. 1.

⁶⁸) Liv. XLIII, 16, 2 (a. 585): flammam invidiae adiecere (C. Claudius Pulcher Ti. Sempronius Gracchus censores) edicto, quo edixerunt ne quis eorum, qui Q. Fulvio A. Postumio censoribus publica vectigalia aut ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet sociusque aut affinis eius conductionis esset.

⁶⁹) Verr. I, 55, 143: qui de L. Marcio M. Perperna censoribus (redemerit (eum) socium ne admittito, neve (ei) partem dato, neve (is) redim quod genus orationis subtracti pronomini perpetua casuum mutatione insigne antiquiorum legum, in his XII tabularum, proprium est (Schoell prolegg. pp. 73. 77; Voigt die XII Tafelu I p. 89; Kuntze Excuse üb. röm. Recht p. 132 ed. 2).

⁷⁰) Hahn de cens. loc. p. 18 adn. 1.

tigal, quod non sociis fruendum a censoribus locatum esse appareat. significanter Cicero, dum universum publicanorum ordinem amplectitur, «omnes omnium publicorum societates» usurpat⁷¹). quin etiam Tiberii Caesaris aetate societates equitum Romanorum vectigalia publica exercuisse Tacitus auctor est⁷²).

Iam ne illud quidem ullo testimonio comprobari potest: fuisse aliquando tempus quo singuli tantum ad hastam accederent publicani; postea vero aucta vectigalia non amplius exerceri potuisse nisi communi pecunia atque opera sociorum⁷³). immo ab initio ea a sociis exerceri solita esse existimamus⁷⁴); cuius tamen rei causam tantum abest ut legis cuiusquam edictive praescripto attribuamus, ut non ignoremus semper unum digito liceri oportuisse⁷⁵). sed enim ea erat ipsius negotii ratio, quae publicanis coeundae societatis quasi necessitatem quandam imponeret. haec patet praeclara illa locationum censoriarum descriptione, quam Polybius⁷⁶) fecit ita, ut hominum qui in huius modi negotiis versabantur varia genera adumbraret. ait enim: πάντα χειρίζεσθαι συμβαίνει τὰ προειρημένα (dicit autem vectigalia publica) διὰ τοῦ πλήθους, καὶ σχεδὸν ὡς ἔπος εἰπεῖν πάντας ἐνδεδέσθαι ταῖς ὠναῖς καὶ ταῖς ἐργασίαις ταῖς ἐκ τούτων· οἱ μὲν γὰρ ἀγοράζουσι παρὰ τῶν τιμητῶν αὐτοὶ τὰς ἐκδόσεις, οἱ δὲ κοινωνοῦσι τούτοις, οἱ δ' ἐγγυῶνται τοὺς ἡγοραχότας, οἱ δὲ οὐσίας διδῶσιν περὶ τούτων ἐς τὸ δημόσιον. quattuor igitur illa genera fuerunt, quorum quod secundo loco Polybius nominat, κοινωνούντων scilicet genus, nonnumquam defuisse animo certe concipi comprehendique potest, ceterorum defectio ne in cogitationem quidem cadit, propterea quod nisi mancipe praedibus praediis obligatis addici vectigal nullo pacto poterat. ergo plures conducendi publici causa consentirent necesse erat; verum quia sociine fuerint inter quos ea res convenisset incerti sumus,

⁷¹) Cic. de domo 28, 74. cf. Caes. de b. c. III, 3, 2: pecuniam—societates—provinciarum—sibi numerare coegerat. Cic. pro Mur. 33, 69: quid si omnes societates venerunt?—quodsi forte singuli commemorantur publicani, cave uni nominato socio plures tacitos adesse neges, quippe cum unius sub nomine latere solcat societas, id quod vel ex titulo illo conductorum piscatus apud Frisios reperto Helveticove «societat(i)s T. Lucreti» facile intellegitur (tt. 54. 56; cf. Patsch, Mitth. d. röm. Inst. VIII, 1893, p. 197 sq.). quae res non nullos viros doctos fefellit (cf. Roesler Vermögen der Handelsgesellschaften nach röm. Recht, Ztschr. f. d. ges. Handelsrecht IV, 1861, p. 288 sq.; Pernice Parerga, Ztschr. d. Savigny-Stiftung f. Rechtsgech., r. Abth., VI, p. 236 adn. 1).

⁷²) V. adn. 58.

⁷³) Dietrich l. I.; Roesler l. I.

⁷⁴) Cf. Schmid (üb. d. sogen. Genossenschaften, Archiv f. civilist. Praxis XXXVI, 1853, p. 170): «es war, wie es scheint, von je her gebräuchlich, die Pachtungen an Gesellschaften zu überlassen».

⁷⁵) Verr. III, 11, 27; 42, 99. Fest. s. v. «manceps» p. 151 M.=p. 139 Thewr.

⁷⁶) Pol. VI, 17, 3. 4.

nondum tenemus societatem. nam ne ἐνδεδῆσθαι quidem illud societatem indicat⁷⁷): fuerunt enim qui, cum socii non essent, nihilo minus publicorum partes haberent ideoque societatis ὠνῶν καὶ ἐργασιῶν, quas conductiones esse quaestumque ex his factum interpretamur⁷⁸), et re vera participes sive affines essent et appellarentur. itaque sociine mancipis fuerint necne quibus invitis digitum ille in licitando tollere non posset, praedes dico praediorumque subsignandorum dominos, nunc nobis explanandum est.

Quid igitur est? quos lucri spe ad hastam allici solitos esse cum res ipsa loquitur tum Polybii verba luculentum sunt documentum, eos si quis mancipis socios fuisse negat, nonne necesse est aut si inter affines conductionis numeret auctoritate apud socios parum concedat valuisse, aut si forte a sociorum affiniumque communione omnino putet alienos certo praemio statuatur affici debuisse? at utraque res absurdior est quam ut id, ex quo concluditur, minus inepte sumptum esse videatur. nam et qui societatis male administratae in primis damna facerent eosdem ad administrandam illam momenti aliquantum afferre par erat, et quaestus ex rata parte auferendi spem incertique negotii aleam Polybiana illa «ἐνδεδῆσθαι ταῖς ἐργασίαις» facile declarant. sed singula videamus. ac quorsum illa pertineant, quae de T. Pomponio Attico Cornelius Nepos praedicat: «ad hastam publicam numquam accessit, nullius rei neque praes neque maniceps fuit»⁷⁹), si perpenderit, ita profecto interpretabimur, quasi dictum esset: illum se publicanorum in numero haberi noluisse⁸⁰). quae interpretatio etiam legis coloniae Genetivae verbis comprobatur quae sunt: «a redemptor[e] mancipe praedeve», hoc est, a redemptore sive maniceps est sive praes⁸¹). qui igitur praedes erant haud secus atque

⁷⁷) Sigonius (de ant. iure R. II, 4, p. 190 ed. 1563) et Burmannus (vect. p. R., Leidae 1734, p. 133), cum de affinibus conductionis nihil scirent, his verbis putabant significari societatem.

⁷⁸) Schweighäuser ad h. l. (Pol. op. t. VI p. 330).

⁷⁹) Vit. Att. 6.

⁸⁰) Negotiator fuit Atticus (cf. Cic. ad Att. I, 18, 8), nequaquam conductionum socius, vix affinis. quem qui partes in publicis habuisse credunt (Nipperdey ad Corn. I. l., Burmannus p. 135, Bouchaud Mém. de l'Acad. des Inscr. et Belles Lettres, t. 37, a 1774, p. 250—nulla argumenta afferunt nisi Ciceronis locum qui est ep. ad Att. I, 19, 9; quo tamen loco non de vectigalibus Sicyoniorum, quorum libera civitas erat (cf. Henze de civit. liberis, diss. ph. Berol. 1892, p. 35 sq.), sed de pecunia quam illa, ut erat acre alieno obruta, ab Attico mutuum accepisset agi alii viri docti coarguerunt (Boot ad Cic. I. l., Westermann in Paulii encycl. VI, p. 1173). neque, si publicanus fuisset Atticus, Cicero ei de publicanis scripsisset quae scripsit (ad Att. VI, 1, 6; II, 16, 4; I, 8, 15 s. f.).

⁸¹) C. I. L. II S. 5439, cap. XCIII.—dicit quispiam non unum quemque praedem haberi pro redemptore, sed eum dumtaxat, qui idem socius sit, explicandaque esse legis verba sici «a redemptore mancipe vel a praede, si idem redemptor est, hoc est socius». quid ergo? ab hoc videlicet magistratum lex donum munus mercedem accipere vetat, a praede qui socium se esse negarit non vetat?

ipso manceps habebantur redemptores; quod ius si in coloniae Ursonensis redemptores valuit, nempe idcirco valuit, quod idem erat publicis populi Romani legibus sanctum de publicanis. iam vero Cicero, cum P. Clodio «ne in praedae quidem», inquit, «societate mancipem aut praedem [socium] extra tuorum gladiatorum numerum—reperire potuisti», publicanorum societatem sine mancipe praedaeque coiri posse negavit, sive praedem socium dixit, sive non dixit⁸²⁾. accedit legis municipii Malacitani testimonium: «ut ei, qui eos praedes cognitores ea praedia mercati erunt, praedes socii heredesque eorum i[i]que, ad quos ea res pertinebit, de his rebus agere easque res petere persequi recte possint»⁸³⁾. quae verba, ut minime ambiguitate quadam careant, tamen, quocumque ab interpretibus trahuntur, redemptores fuisse praedes significant. qui aut plane dicuntur socii⁸⁴⁾, aut, quod quidem magis credimus⁸⁵⁾, ita commemorantur, ut mancipi, sociis, sociorum heredibus, ceteris denique, ad quos rem pertinere lex ait, adiuncti universam societatem heredum atque affinium supplemento adauctam explere in eaque locum mancipi proximum, ut redemptorum genus praestantissimum quodque societati ultro inserviat, obtinere videantur. etenim publicanorum ius imitando lex exprimit, cum hos, quorum res ratioque cum ipso praediatore coniuncta sit, praecipuo quodam iure eoque ab iure societatis privatae alienissimo esse iubet⁸⁶⁾. verum de

⁸²⁾ Cic. de domo 18, 48. traditam lectionem quae est «praedem socium» defendunt Bruns (in Pontibus Iuris, ad legem munic. Malacitani) et Xenopolus (de societatum publicanorum Rom. historia et natura iudiciali, diss. Berol. iur. 1877 p. 37 adn. 18); glossema suspicati sunt editorum plerique. residebit hic scrupulus, donec legis municipii Malacitani caput LXV certa ratione explicatum erit.

⁸³⁾ C. I. L. II 1964, cap. LXV.

⁸⁴⁾ Bruns l. l., Xenopolus l. l.; aliter censet Mommsenus Stadtrechte p. 480.

⁸⁵⁾ Veri enim simile non est de sociis qui praedes non essent eorumque heredibus nullam mentionem nominatim esse factam, ut ii in «ceteris» illis intelligendi essent.

⁸⁶⁾ Lex explicari non potest, nisi ad singulare publicanorum societatis ius referatur. inde illa iure agendi potestas ad socios mancipis (Mommsen l. l.; M. Weber z. Gesch. d. Handelsgesellsch. im Mittelalter, Stuttg. 1889, p. 11) eosque, ad quos rem pertinere lex ait, inde ad heredes quoque, si quidem omnium sociorum heredes intelligendi sunt, redundavit. iam ne praedum quidem ius alio ex fonte nisi e publicanorum iure praecipuo emanasse videtur. at enim hac fictione ius illud fortasse nititur, ut praes, si pro mancipe solverit, mancipis bonorum emptor habeatur (Mommsen l. l.). quid tamen? si mancipis bonorum emptorem praedem haberi sumptum est, non nulla consequuntur quae ne ad cogitationem quidem valere videantur. ac primum consequitur ut mancipi liceat suorum ipsius bonorum emptorem esse, solet enim esse idem praes; deinde ut omnia mancipis debita, non ea sola, quae ad vectigal conductum pertineant, a praedibus solvi oporteat; postremo ut hi ius illud, de quo in lege Malacitana cavetur, non prius exsequi possint, quam pecuniam pro mancipe solverint, id quod cum ab eius, qui legem scripsit, sententia tum a condicione conductorum (nam horum locum praedes obtinuisse vidimus) longe abhorrere videtur.

praedibus hactenus. praedia qui subderent subsignarent obligarent si qui erant, quartum scilicet ἐνδεδεμένων genus Polybianum, hi quoque habebantur in numero publicanorum. Callistratus quidem, Antonini et Veri constitutionem quandam dum interpretatur, sic ait: «non honori conductorum datum, ne compellantur ad munera municipalia, sed ne extenuentur facultates eorum, quae subsignatae sunt fisco»⁸⁷⁾. subsignabant autem res suas et mancipis et qui fidem pro iis interponebant fundorum domini⁸⁸⁾: utrum de illis tantum an de his quoque agatur quaeritur. at utrosque videntur divi fratres respexisse conductoresque appellasse: utrorumque enim non dignitati studebant augendae, at fortunarum ruinam pertimescebant. an, quod sibi ab illa debitorum parte metuebat res publica, idem ab hac altera non verebatur⁸⁹⁾? verum dicat quispiam spectare illud praescriptum ad defendenda iura fideiussorum: concedimus, sed ita tamen, ut, quoniam qui in praedum locum sublevato cautionis periculo successerant fideiussores conductorum numero erant, praediorum illorum, quibus simul cum praedibus populo cavebatur, dominos, quo superioribus legibus adstricti erant, eo coniunctiores cum publicanis fuisse colligamus. quid denique iudicemus de cognitoribus? qui quidem nobis ceteroquin paene ignoti in lege tantummodo municipii Malacitan inveniuntur, hoc tamen iure coniuncti cum praedibus, ut eos quoque inter conductores numerari solitos esse non sit quod negemus.

Quae cum ita sint, quod sociine mancipis fuissent necne qui pro illo sese praedes populo esse dixissent praediaque pignori dedissent⁹⁰⁾ in dubium vocavimus, de ea re ita censemus: societatem coire cum mancipe per legem praedibus licuisse eo apparere, quod manceps plerumque fuerit «idem praes»⁹¹⁾; ut id facerent lege sanciri non potuisse, privato enim

⁸⁷⁾ Dig. 50, 6, 5, 10.

⁸⁸⁾ Schol. Bob. in or. pro Flacco 32, 4 (Orelli V² p. 244): subsignandi haec solebat esse causa, ut aut qui vectigalia redimeret, aut qui pro mancipe fidem suam interponeret, loco pignoris praedia sua rei publicae obligarent, quoad omnem pecuniam redemptores vectigarium repensarent.

⁸⁹⁾ Diocletianu et Maximianus quod fideiussores videntur in publicanorum numero non existimasse (Cod. Inst. 10, 57, l. un.), nihil miramur, nam ne socios quidem redemptores putaverunt. in Severi autem et Antonini constitutione quadam (Dig. 39, 4, 16, 12) fideiussoribus ita opponuntur publicani, ut mancipis accipiendi sint; similiter in legis metalli Vi-pascensis formula quae est «conductor socius actorve eius» conductoris nomine nuncupatur qui ipse conductor est (cf. Dig. 43, 9, 1).

⁹⁰⁾ Fest. p. 223 M.=p. 279 Thewr.; Varr. de l. L. VI, 74; V, 40.

⁹¹⁾ Fest. p. 151 M.=p. 139 Thewr.; Mommsen Stadtrechte p. 471 adn. 2, C. I. L. I p. 103. 165. errare in hac re nobis videtur Karlowa (I p. 243), qui et Festi testimonium contempserit, et legem parieti faciendo Puteolanam perverse sit interpretatus.

consensu niti societatem; nihilo minus cautum lege esse ut quicumque praedes essent haberentur conductores; qua re perpetuam societatis inter mancipem praedesque coeundae consuetudinem⁹²⁾ ipsis legibus, quantum fieri posset, confirmatam esse⁹³⁾. quodsi quis quaerat quonam tempore praedes conductores haberi coepti sint, necesse est, ni fallor, aetatem eam repetat, qua socios manceps nullos nisi praedes habebat⁹⁴⁾: nam nisi posteriore tempore ceteri exstitissent socii, nominatim de praedibus quod lege caveri solebat cautum non esset, sed hi societatis nomine qua cum mancipe coniuncti erant fuissent conductores. nec vero mirum est eos, sine quibus societas coiri non posset, primum socios factos esse, ceteros postea accessisse. et Ciceronis aetate simplicissimam quamque societatem etiam tum e mancipe praedeque constitisse videmus⁹⁵⁾. itaque, quantum coniectura auguramur, principio quidem populus emptorem nullum nisi mancipem agnoscere solebat, tum vero praedes quoque emptores existimari ita voluit, ut quam ab initio quasi necessitate coacti manceps praedesque inire consuerant societatem confirmarit.

⁹²⁾ Graeci quoque, quippe quibus mos esset «τὰ δημόσια ἐκμισθῶν ἐπ' ἐγγυητῶν (Xenoph. de vectig. III, 14), quod pro vectigalium conductoribus Athenis Alcibiades, qui ab eorum ordine prorsus alienus erat, nomen subsignare in animum induxisse (Boeckh Staatshaushalt. d. Ath. I p. 406), in Aegypto Ptolemaeus rex re vera subsignasse (Ioseph. ant. XII, 4, 4) ferebantur, abhorreere ea ab usu locationum minimeque quidem contra leges, at insignite singulariterque facta esse iudicarunt. imperator autem Claudius vereor ut eam ob causam e lege praediatoria in vacuum venalis pependerit (Suet. Cl. 9), quod ob publicorum conductiones praes factus esset.

⁹³⁾ Praedes, si emptores sunt omnes, sequitur ut aut socii sint aut publicum emerint in commune (Dig. 17, 2, 33). haec tamen emptio et alio quodam consilio fieri solebat (scilicet ut licitationum contentiones devitarentur), et vereor ut fieri omnino potuerit, nisi societatis corpus haberet communio (de qua re alio loco disputaturi sumus). quocirca praedes, cum emptores publice appellati essent, societatem effugere nullo modo potuisse arbitramur.

⁹⁴⁾ Cf. Salkowski z. Lehre von der jurist. Person p. 30 sq.: «sehr wahrscheinlich ist, dass ursprünglich gerade die praedes mit dem Uebernehmer der Pachtung Societätsverträge schlossen, um sich für das von ihnen übernommene Risiko wenigstens eine entsprechende Chance des Gewinns zu verschaffen». Degenkolb die lex Hieronica, p. 126: «wenn über dieses noch dunkle Verhältniss eine Vermuthung zu wagen ist, so wäre es die, dass socii und praedes ursprünglich zusammenfallen». nimius esse in coniectando de praedum condicione nobis videtur Xenopolus (in libro supra laudato).

⁹⁵⁾ Cic. de domo l. 1; l. col. Genetivae l. 1.

III.

Praedes igitur quique idem praes esse solebat manceps, quoniam inter se ut periculi atque laboris ita praemii communione coniuncti et consociati erant, societatis ineundae principes fuerunt. quae, dum quasi aetate procedit, et socios sibi iam a praedum foedere alienos adsciscit, et affines quosdam adiungit, ut, cum adolevisset, talis evaserit, qualis a Polybio efficta est. cum autem singulae societates ad rem inter se quodammodo communicandam amplificandamque conspirare seque copulare coepissent, connexarum aliarum cum aliis ac, prout utilitas postulabat, colligatarum implicitarumque variae coniunctiones exstiterunt. in quas cum inquirere instituimus, ad impeditam mehercule rem eamque cum ita dignam quae exploretur, ut ea neglecta publicanorum instituta penitus cognosci nullo modo possint, tum vero nequaquam adhuc satis enucleatam explicandam aggredimur.

Initium disserendi omnisque societatum descriptionis constitutionisque exprimentae hoc ponimus, ut quatenus illis per imperii Romani fines diffundi ius fuerit definiamus. ac quascumque extra Italiam⁹⁶⁾ constitutas novimus societates vectigalium, sive simplices erant, sive e ceteris societatibus constabant, quod ipsum genus appellabatur societates, singularum provinciarum⁹⁷⁾ regionumve certis provinciis attributarum⁹⁸⁾ finibus videmus singulas circumscriptas. perspicimus igitur societatibus aliquot in eadem provincia collocatis cum ad conducenda simul vectigalia societatis instar foedus facere tum simul conducta salvo foedere fruenda partiri licuisse; ad diversas vero provincias pertinentibus, etiamsi sociis communibus uterentur, nullam fuisse conglutinandae societatis potestatem. quid enim? num aut societatem latius patuisse quam locationem censoriam, aut locationum rationem a ratione singularum provinciarum seiunctam fuisse putes? quorum alterum cum aliis rationibus tum etiam socios appellandi modo confutatur: solebant enim societates sive simplices sive e pluribus societatibus concretae denotari sic, ut et provincia cuius vec-

⁹⁶⁾ In Italia singillatim fiebant locationes pascuorum singulorum, scilicet ποταμῶν, λιμένων, κηπίων, μετὰλλων, χώρας (Polyb. VI, 17, 2).

⁹⁷⁾ Nominamus exempli gratia socios Bithyniae (Cic. ad fam. XIII, 9, 1), publicanos Syriacos (Cic. ad Q. fr. II, 11, 2; cf. Caes. de b. c. III, 31, 2), Galliae publicanos (Cic. pro Font. 20, 46), Macedoniae et Aethiopiae societates (Caes. de b. c. III, 3, 2), societatem Siciliensem (Verr. II, 70, 171), socios dioecesium Ciliciae (Cic. ad Att. V, 15, 3).

⁹⁸⁾ Sc. de Asclepiade sociisque (C. I. L. I 203) v. 5: [magistrat]us nostri que i quo m que Asia m Euboeam locabunt vectigalve Asiae [Euboeae imponent] cet.; v. 23.

tigalia socii conduxerant, et a quibus conduxerant censores nominarentur⁹⁹). alterum provinciarum singillatim locandarum consuetudo¹⁰⁰) atque adeo necessitas redarguit: non eadem provinciis omnibus vectigalia, non lege eadem imposita esse, non iisdem notata nominibus reperiuntur¹⁰¹). quid multa? quibus legibus provinciarum singularum locatio censoria constituta erat, iisdem constitutae societates suae quaeque provinciae terminis saeptae tenebantur.

Quae quidem a nobis hoc loco summatim breviterque descripta sunt, post vero magis omnia intellegentur; at vel paucis ea docuisse satis est, ut ne in ipso disputationis quam de constitutione societatum instituimus exordio explicatio desideretur, qui factum sit ut societatum descriptio ad provinciarum descriptionem maxime accommodaretur. singularum enim provinciarum regionumve publicanos societates singulas coire solitos esse docebimus, quarum una quaeque omnes, quicumque eius provinciae regionisve ubi ea constituta esset publicis e lege censoria fruerentur complecteretur. et hoc quidem de aliis provinciis habemus certum atque exploratum: de aliis sic affirmamus, ut id ex non nullis signis collectum potius quam certis testibus compertum esse fateamur; de aliis postremo ita conicimus, ut nec re ulla quae ad contrariam suspicionem iniciendam valeat labefactetur opinio nostra, et ceterarum provinciarum exemplis rationibusque non nullis quae ad communem hanc publicanorum consuetudinem arguendam pertinent confirmari videatur. ac certum scimus hanc fuisse rationem publicanorum Siciliae, Bithyniae, Africae, Ciliciae totius Cyprive. namque exceptis illis mancipibus, qui singularum Siciliae civitatum decumas a quaestoribus in provincia, non Romae a censoribus emere consueverant ita, ut ab ipso publicanorum Siciliensium grege essent alieni, horum omne genus in una quadam societate constituisse Cicero testis est¹⁰²). qui idem societate Bithyniae omnes Bithynicos¹⁰³), Africae societate Africanos omnes

⁹⁹) Cic. ad Att. I, 17, 9: *Asiam qui de censoribus conduxerunt; pro Font. I, 2: publicani qui Africam, qui Aquileiense portorium de censoribus conduxerunt?*; cf. Brut. 22, 85; h. op. adn. 68. 69.

¹⁰⁰) Front. ad Ver. II, 1, p. 125 Nab.: *iam Gracchus locabat Asiam; Verr. III, 16, 2: ceteris (provinciis) censoria locatio constituta est, ut Asiae lege Sempronia. cf. adn. 98. 99.*

¹⁰¹) Verr. III, 11, 27: *cum omnibus in aliis vectigalibus, Asiae, Macedoniae, Hispaniae, Galliae, Africae, Sardiniae, ipsius Italiae quae vectigalia sunt, cum in his, inquam, omnibus publicanus petitor ac pignerator cet. cfr. «portus Siciliae» (Dig. 50, 16, 203), portus Asiae, metallum Macedonicum, quattuor publica Africae, vectigal Illyrici, quadragesima Galliarum cet.*

¹⁰²) Verr. II, 69, 169 sqq.; III, 71, 166 sqq.

¹⁰³) In ep. ad fam. XIII, 9 Tullius «Bithynicam societatem» et «socios Bithyniae» appellat.

publicanos¹⁰⁴⁾ contineri nisi ostendere voluisset, neutram profecto sublata publici definitione provinciae solo nomine notavisset. Pompeium denique Caesar narrat, cum «in Ciliciam atque inde Cyprum» pervenisset, pecuniam «societatis» sustulisse¹⁰⁵⁾; ex quo efficitur ut una fuerit societas vectigalium aut in Cypro insula, aut, id quod, cum de exactionibus pecuniarum in Cilicia a Pompeio factis alia mentio nulla fiat, magis crediderim, in universa provincia Cilicia. ac de harum quidem provinciarum societatibus plane auctores loquuntur: Syriae vero publicanos eodem inter se vinculo coniunctos fuisse id signi est, quod illi cum omnino egisse communiter¹⁰⁶⁾ tum eiusdem temporis debitam aerario pecuniam solvisse¹⁰⁷⁾ traduntur. Asiae porro vectigalia qui e lege censoria exercebant non solum condicione eadem redemisse¹⁰⁸⁾ redemptorumque eodem tempore populo pretium rettulisse¹⁰⁹⁾, verum etiam huius remissionem communi nomine petiisse¹¹⁰⁾ communique rectore ac moderatore rerum principum ordine usi esse¹¹¹⁾ inveniuntur. quid si Cicero, dum verbis usus quae e mediis senatus actis deprompserat, sicut Africanos illos, qui una societate tenebantur, publicanos «Africanam»¹¹²⁾, item «Asiam» Asiaticos de censoribus ait conduxisse, significat cuncta huius provinciae vectigalia, quaecumque ad hastam censoriam venissent, empta esse in commune¹¹³⁾?

¹⁰⁴⁾ Cic. ad fam. XIII, 6^a, 2: Cuspius—fuit in Africa bis, cum maximis societatis negotiis praecesset.

¹⁰⁵⁾ Caes. de b. c. III, 102, 5; 103, 1.

¹⁰⁶⁾ Cic. ad Q. fr. II, 11, 2; III, 2, 2; de har. resp. 1, 1.

¹⁰⁷⁾ Caes. de b. c. III, 31, 2: item a publicanis suae provinciae debitam biennii pecuniam exegerat (Scipio) et ab isdem insequentis annu mutuum praeceperat.

¹⁰⁸⁾ Cic. ad Att. I, 17, 9: Asiam qui de censoribus conduxerunt questisunt in senatu se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse; ut induceretur locatio postulaverunt. cf. Val. Max. VI, 9, 7: T. Aufidius cum Asiatici publici exiguam admodum particulam habuisset cct.

¹⁰⁹⁾ Caes. de b. c. III, 32, 6: publicanis, ut in Syria fecerat, insequentis anni vectigal promutuum (imperabatur).

¹¹⁰⁾ Schol. Bob. in or. pro Planc. (Orell. V² p. 259): desideratum est in senatu nomine publicanorum ut cum iis ratio putaretur lege Sempromia. Cic. ad Att. I, 1.

¹¹¹⁾ Cic. pro Planc. 9, 24: princeps iam diu publicanorum; 13, 32: princeps inter suos societatis sedem Asiaticam Ephesi collocatam Cicero designat in ep. ad fam. V, 20, 9 verbis his: illud cogitare debes me omnem pecuniam — Ephesi apud publicanos deposuisse (cf. ad Att. XI, 10, 1).

¹¹²⁾ Cic. p. Font. 1, 2 (v. adn. 99).

¹¹³⁾ Cic. ad Att. I, 17, 9 (adn. 108); sc. de Ascl. v. 5 (adn. 98).—opponuntur a Cicerone (ad Att. II, 16, 4) universa Asia negotiatoresque publicanis huius provinciae videlicet universis, cum de ea causa agitur, quae ne in senatu periret portus tantummodo sociorum interfuisse videatur.

laudemusne veterem orationum Tullianarum interpretem, qui haud scio an sibi persuaserit unam in Asia fuisse publicanorum societatem¹¹⁴⁾? quid quod Asiae scripturam et portum a. 707 eosdem socios habuisse videmus¹¹⁵⁾? quod si ita est, quoniam decumae Asiae, nisi quae forte agri publici erant, a. 706 erant sublatae¹¹⁶⁾ neque ulla alia vectigalia nisi has scripturamque atque portoria Cicero in iis, quibus in Asia consistentes publicani fruebantur, commemorat¹¹⁷⁾, aut non erat omnino Asiae publicum ad quod exercendum non eadem societas pertineret, aut certe tam parvi momenti erat, vix ut a propria societate exerceretur¹¹⁸⁾. iam vero, ut metalla omittam¹¹⁹⁾, consuesse publicanos universa singularum provinciarum vectigalia uno nomine a censoribus redimere eo quoque apparet, quod et maxima quaeque illorum, quae portus et scriptura erant, omnino simul exerceri solita esse videntur¹²⁰⁾, et si qua de regione publicani controversiam habebant cum peregrinis, exceptane esset lege censoria ne quid populo aut publicano deberet, de universis eius regionis vectigalibus contendisse reperiuntur¹²¹⁾. itaque quos in senatus consulto quod adhuc superest de agris Oropiis dei Amphiarai sacris controversiam intulisse invenimus

¹¹⁴⁾ Schol. Bob. l. l.: cum princeps esset publicanorum Cn. Planci pater et societas eadem in exercendis vectigalibus gravissimo damno videretur affecta cct.

¹¹⁵⁾ Cic. ad Att. XI, 10, 1: P. Terentius, meus necessarius, operas in portu et scriptura Asiae pro magistro dedit.

¹¹⁶⁾ App. b. c. II, 92; V, 4; Plut. Caes. 48; D. Cass. XLII, 6.

¹¹⁷⁾ Cic. de imp. Pomp. 6, 15 sq.

¹¹⁸⁾ In or. de l. agr. II, 29, 80 Cicero nullius Asiae publici mentionem facit nisi portorii et scripturae.

¹¹⁹⁾ Provinciarum metalla pleraque veremur ne separatim a ceteris vectigalibus locari solita sint, cum et legibus propriis singula instituta esse (Cassiod. chr. a. 384; Liv. XXXIV, 21, 7), et a Gaio (Dig. 3, 4, 1) societates aurifodinarum argentifodinarum a ceterorum vectigalium societatibus secerni videamus. Sardiniam autem ab initio ab una societate conductam esse suspicamus: nam aram illam cum titulo trilingui (C. I. L. X 7856=Inscr. gr. Sicil. et Ital. 608; tit. 30) qui ibi saeculo urbis sexto septimove Aesculapio dedicavit Cleon, cum snon, ut in hoc titulorum genere solet, «sociorum salariorum servus», sed «salari(us) soc(iorum) s(eruus)» itemque graece «ὁ ἐπὶ τῶν ἀλῶν», punice fere «salinarum procurator» appelletur, dubitamus an eius potius quam salinarum societatis servus habendus sit (quae omnia illius insulae vectigalia, in his etiam salinas, conduxerit. mentio enim alias fit cum «sociorum salariorum et scripturarium» tum «conductorum pascui et salinarum».

¹²⁰⁾ Nam ita se res videtur habuisse non modo in Asia, Bithynia, Sicilia (Verr. II, 70 171), sed etiam in Cilicia (Cic. ad Att. V, 15, 3).

¹²¹⁾ Quod Strabo (XIV, 1, 26 p. 642 C) publicanos narrat cum Dianae templo Ephesio de lacus Selinusii vectigalibus controversiam habuisse, documento est ita illos Asiam conduxisse, ut quaecumque ibi populo Romano vectigalia deberi viderentur, etiamsi locationis lege nominatim addicta non essent, sibi vindicarent. cf. sc. de Adramytenis (Bull. de Corr. Hell. 1885 p. 401 sqq.=Viereck Serm Gr. XV) v. 5 sqq.: περὶ χώρης ἧτις ἐν ἀντιλογίᾳ ἐστὶν δημοσιώ[ναις] πρόσ) Περιγραμῆνός.

publicanos universa Boeotiae vectigalia simul conduxisse perspicimus¹²²), ut ne Achaiae quidem ratio a ratione earum provinciarum, quas supra nominavimus, diversa fuisse videatur¹²³). accedit quod in legibus senatusque consultis publicanorum appellatione designari videmus vectigalium socios¹²⁴); quam ob rem Fonteium quoque, qui una voce defendisse narrantur, Galliae publicanos communi decreto, ut socii consuerant, putamus defendisse¹²⁵). at iam desinamus voces significationesque exprimere invitae antiquitati, ut ne id quidem periclitari lubeat, num forte etiam inferiore aetate conventus coetusque quidam publicanorum in singulis provinciis consistentium fuisse deprehendantur¹²⁶); quod quidem institutum, si modo satis testatum esset, ex antiquo illo more, quem investigare conati sumus, natum esse existimarem.

Verum tamen quarum provinciarum singularum publicanos societates singulas coisse demonstravimus, in iisdem provinciis singulis simul plures societates fuisse invenimus, quod nemo non videt cum iis, quae supra diximus, omnino esse pugnaturum, nisi sumere liceret societates illas, quibus universi provinciarum singularum tenebantur publicani, ex societatibus pluribus ad singula negotia suscipienda initis nescio quo pacto singulas constituisse. quo quidem sumpto non solum discrepantia ista tollitur, sed etiam universae de societatum constitutione quaestioni inexpectata quaedam lux affertur; sin hoc datum non erit, iam illud explicari nullo modo poterit, qui fiat ut in iisdem provinciis singulis simul et plures societates et singulae aperiantur. etenim, ut a Sicilia incipiamus, Cicero pecuniam ait ad frumentum emendum datam a Verre positam esse apud eas societates, unde esset attributa; quam, dum ultra in oratione progreditur, uni societati eique maximae quaeque plus unum vectigal haberet fenori datam esse dicit¹²⁷). Ciliciae Cyprive societatem Caesar ubi primum appellavit, familias societatum quarundam commemorat, ut non sit obscurum quin eiusdem provinciae societates significet¹²⁸). iam in Asia complu-

¹²²) Sc. de Oropiis (Bruns F. I., Viereck Serm. Gr. XVIII) v. 46 sq.: τῆς πόλεως καὶ τῆς χώρας λιμένων τε τῶν Ὀρωπίων τὰς προσόδους.

¹²³) Cf. Caes. de b. c. III, 3, 2: (Pompeius) magnam (pecuniam) societates earum provinciarum (sc. Macedoniae et Achaiae), quas ipse obtinebat, (singularum, opinor, singulas) sibi numerare coegerat. sc. de Ascl. l. l.: quae quomque — Euboeam locabunt.

¹²⁴) Cf. Cic. Brut. 22, 86 sq.: causam pro publicanis — dixisse Laelium. agitur autem de causa unius societatis.

¹²⁵) Cic. p. Font. 20, 46.

¹²⁶) Quod effici posse videtur e titulo C. III 5214, si modo recte putatur pertinere ad «[conductores] public[orum] in R[actia consistentes]».

¹²⁷) Verr. III, 70, 165; 71, 165—168.

¹²⁸) Caes. de b. c. III, 103, 1.

res fuisse societates satis constat: nam et cuius res in illis maxime finibus versabatur Plancius maximarum societatum auctor, plurimarum magister praedicatur¹²⁹), et Asiaticorum publicanorum laudantur honestissimae atque maximae societates¹³⁰). quin inde societates quasdam singulas e pluribus singulorum publicorum societatibus constituisse nasci suspicio potest, quod Cicero, cum Asiae portum et scripturam ab eadem societate conducta esse in epistula quadam a. 707 data significet¹³¹), in alia tamen epistula quattuor sane annis ante scripta scripturae socios Asiaticos a ceteris Asiae publicanis secernit¹³²). sed quam rem ita stabilire conamur, ut partim investigando patefaciamus secum pugnantia, partim ratiocinando reconciliemus, eam rem apertissimis verbis Cicero enuntiat ac confirmat, ut his stare liceat, nisi cui forte haec ipsa parum explicatae rei apertior significatio ansam det ad ambigendum de vera Tullii sententia, quam ob rem, quo maioris illa momenti sunt, eo diligentius sunt expendenda magisque cavendum ne interpretando trahantur eo, quo non pertineant.

In epistula enim Furio Crassipedi, qui tum erat pro quaestore provinciae Bithyniae, inscripta¹³³) haec Tullius iecit: volo te existimare — me in primis amicum esse huic Bithynicae societati, quae societas ordine, ipso hominum genere pars est maxima civitatis, constat enim ex ceteris societatibus. quae extrema verba cum neque a nobis iniuria accipi sic, ut cum iis, quae supra posuimus, mirifice congruerent, nec diversae cuidam a nostra ratione explanationi prorsus repugnare viderentur, diu mente in utramque opinionem distracta haerebamus incerti, utrum in illis vis ea, quae et nobis primum adspicientibus et haud scio an aliis quoque eadem intuentibus¹³⁴) elucere visa erat re vera inesset credendumque esset

¹²⁹) Cic. p. Planc. 13, 32. cf. adn. 114.

¹³⁰) Cic. ad Q. fr. I, 1, 12, 36.

¹³¹) Cic. ad Att. XI, 10, 1.

¹³²) Haec epistula, quae est libri epistolarum ad familiares decimi tertii quinta et sexagesima, quamquam P. Silio, qui tum provinciae Bithyniae praerat, inscripta est, tamen ad Asiaticam scripturae societatem, non ad Bithynicam Silio commendandam spectat: id quod cum e P. Terentii commemoratione, qui quattuor post annos in Asiae portu et scriptura pro magistro fuerit, colligendum est, tum maxime e verbis intellegitur quae sunt: non me praeterit nos eam rem Ephesi expertos esse neque ab Ephesiis impetrare potuisse. itaque Silium Cicero rogat, ut, qua apud Graecos auctoritate et gratia sit, Ephesiis suadeat ne cum Terentio pacisci nolint; quam quidem rem Cicero, qui ipse non Asiam, sed Ciliciam tum obtinebat, frustra conatus erat componere.

¹³³) Cic. ad fam. XIII, 9. et ante verba, quae sunt ipso hominum genere, interponunt codd. HD.—de societate Bithyniae cf. adn. 103.

¹³⁴) Cf. Salkowski quaest. de iure societatis praecipue publicanorum, Regiom. Bor. 1859, p. 15 sq.: sed etiam plures in una societate magistros inveni-

societatem Bithynicam in partes aliquot fuisse divisam, quarum quaeque integra quaedam perfectaue societas esset, an aliam explicandae sententiae Tullianae viam, longius illam quidem a Tullianorum verborum vi principali disiunctam, minus tamen ob rei novitatem lubricam, sequi praestaret. quam si amplecteremur, et «partem maximam civitatis» existimabamus intelligendam esse «auctoritate gravissimam», et societatem de qua agitur ideo ponderis tantum habuisse interpretandum, quia e sociis aliarum provinciarum constaret, quarum videlicet societates opibus auctoritateque plurimum valerent. atque illud quidem sane fieri potuisse intellegebamus, ut ditissimi quique maxime socii, qui finitimarum provinciarum, in primis Asiae, vectigalia conduxerant, Bithyniam quoque haberent conductam, praesertim cum in huius finibus etiam ante quam in provinciae formam redigeretur consedissent¹³⁵); haec tamen duo displicebant, quod verba quae sunt «civitatis maxima pars» non eadem, qua semper solent, vi posita esse credebantur quodque «societatis» nomini sociorum cuiuslibet numeri vis potius quam totius societatis subiciebatur. quae cum ita essent, hanc interpretationem reiiciendam esse censuimus, praesertim cum altera neque haberet quicquam, quod in ea offenderemus, et eo defendi videretur, quod «genera» proprie dici genera civium Romanorum alicubi consistentium, velut aratores, pecuarios, negotiatores, publicanos, non ignorabamus¹³⁶). itaque Tulliana illa «ordine, ipso hominum genere pars est maxima civitatis, constat enim ex ceteris societatibus» sic explicanda esse existimamus: «societas Bithynica, quoniam Bithyniae publicanorum genus, quod ex variis societatibus constat, universum complectitur, non solum cum aliarum provinciarum societatibus iisque maximis implicita est et cohaeret, ut quod omnino publicanorum ordini debetur huic societati in primis debeat, sed etiam, quod ad ipsum hominum genus proprie pertinet, ditissimos atque ornatissimos quosque eius provinciae cives Romanos tenet, quocirca plurimum ei societati tribuendum est». quodsi quis verbum quod est «ceteris» sic positum miratur, tantum abest ut vel illud ipsum vel

mus, qui in ea societate fuisse videntur, quae simul complura vectigalium genera conduxerat.. socios autem tum aut totius societatis aut unius vectigalis lucrum ac damnum participasse veri simile est, ita ut in una societate facile socii pecuarii (scripturarios dicit), decumani, reliqui existere possent. hoc enim casu rerum administratio tantum communis erat (sic enim intellegendus est locus Cic. ad fam. XIII, 9, ubi societas Bithynica ex ceteris societatibus constare dicitur). Marquardt Staatsverw. II p. 300 adn. 12.

¹³⁵) Diodor. XXXVI, 1. cf. cap. XII § 9.

¹³⁶) Caes. de b. c. II, 36, 1: conventus is, qui ex variis generibus constaret; Cic. ad Q. fr. I, 1, 1, 6; de l. agr. II, 30, 84. genus quid omnino in re publica significet definitur a Mommseno St.-R. III p. 9 adn. 2.

totam interpretationem nostram in dubium revocare suo iure possit, ut si rationem inter universam Bithyniae societatem eiusque partes intercedentem attenderit, nullo alio verbo Tullii sententiam rectius exprimi potuisse facile sit intellecturus: nam societates illae, quia optimo iure societates erant, etsi unius universitatis, quae eadem societas appellabatur, partes erant, cum hac nihilo minus aequari poterant; quas Cicero vocabulo illo vere societates fuisse dum significat, si cui forte rem e ceteris eiusdem generis rebus constare subabsurde dixisse visus sit, ei se quodammodo excusat ¹³⁷).

¹³⁷) Hoc loco immortalis ille divini ingenii meritorumque laudibus vir, Theodorus Mommsen, qui hanc dissertationem benigne perlegit camque, qua in discipulos erat indulgentia, «diligenter et subtiliter scriptam» iudicavit, in libelli manu scripti margine sua manu adnotat haec: «a provincialibus Bithyniae civibus publica eius provinciae nequaquam conducebantur, et evidenter apparet ceteras societates Bithynicae opponi. scilicet provincia cum constituta est, societates publicorum ad eam pertinentium simul institutae sint necesse est. iam Bithynia cum in provinciae formam redacta sit paucis annis ante scriptam epistulam illam, hinc intellegitur ad formandam societatem eam societatum vetustiorum (tam finitimae Asiae quam reliquarum non finitimarum) principes omnes coisse novo eo quaestu cupide arrepto itaque factum esse ut quicumque inter publicanos eminent in societate Bithynica partem aliquam haberent». ita clarissimus atque optimus magister, quam equidem sic praevideram, ut tamen pressiore sequi mallet, interpretationis rationem argumentando corroborare voluisse, quam ego inieram repudiasse potius quam confutasse mihi videtur; nulla igitur in iis quae ante scripseram mutanda censui, quo magis, etiamsi errassem, dilucidaretur controversia, atque, ut ad Mommseni verba supra transscripta perpendenda me convertam, illud quidem, quod a provincialibus civibus publica Bithyniae conducta esse negat, non plane scio quo spectet, satis nempe superque notum est locationes censorias Romae ad hastam fieri oportuisse sedemque principes societatum omnium habuisse urbanam. quae cum ita sint, nihilo minus permulti sociorum in administrandis vectigalibus occupati cum in ceteris provinciis tum vero in Bithynia reperiuntur, in quam mirum est quantus quamque Asianus invidiosus fuerit publicanorum concursus etiam tum, cum populi praedium non erat. quae igitur iam a regibus Bithyniae vectigalia conduxerant equitum Romanorum societates quaeque caedem finitimarum plerumque provinciarum, in primis Asiae erant, postquam in provinciae formam redacta Bithynia est, integrae permansisse videntur, dum, ut omittam scripturam et portum, partim agrorum fructus, partim metalla, partim etiam stipendia exercent, quae quidem genera utrum a censoribus Romae, an a provincialibus magistratibus redemerint incertum est. quapropter suspicamur, constituta provincia cum a censoribus locaretur, ita simul societatem constitutam esse provinciae Bithyniae, ut corporis ius, de quo infra agemus, ad omnes quicumque in Bithynia erant publicanos unius Bithynicae societatis nomine redundaret. compositam igitur esse societatem Bithynicam ex variis eiusdem provinciae societatibus, qua vi Cicero constare eam ex ceteris dixisse videtur sic, ut simul indicaret plerasque societatum, quibus publicanorum ordo niteretur, magnas pecunias atque spes ibi collocasse penitusque inhaesisse. quodsi hoc unum declarare vellet, ex ceterarum provinciarum maximis publicanis societatem Bithynicam constituisse, ordinem commemorasse satis haberet, non de genere loqueretur minus proprie: nos Ciceronem proprie locutum esse existimamus, rem fuisse paullo obscuriorem. quae tamen utcumque se habent, nihil valet ista controversia ad debilitanda ea, quae supra posuimus de multipartitarum societatum ratione; nam aliarum provinciarum similitudinem intuemur, cum de Bithynia agimus; de hac nobis licet surripiatur testimonium, luculentis stamus quae de ceteris provinciis protulimus.

Ac multiplices quasdam fuisse colligatasque societates, in quibus singulis simplices plures continerentur, satis, opinor, comprobatum est: natum autem hoc societatum e ceteris societatibus compositarum genus unde sit quaerentibus nobis consociationis causae occurrunt duae ut natura inter se ita vi atque effectu dissimiles. etenim primum notum est saepius factum esse ut vectigalia aliquot separatim locata simul conducerentur ab iisdem publicanis, cuius rei qui mentionem faciant ne tituli quidem desunt. nam etsi his qui indicantur vel in Italia, ut opinor, fuisse soc(ii) sal(arii) e[t] scr(ipturarii)¹³⁸⁾ vel Romae (socii) publici xx hereditatis et xxv vernal(ium)¹³⁹⁾ vel etiam in Gallia, ni fallor, socii (centesimae) et [r]o[t]ari¹⁴⁰⁾ quamnam inter se rationem inierint, ut iis fruerentur, quae communiter redemerant, nescitur, tamen qui ad Daciae conductores cum pas(cui)et salinar(um) tum pascui salinar(um) et commercior(um) singulos pertinent lapides¹⁴¹⁾ testimonia sunt ne exercendo quidem saepe ea seiungi solita esse, quae coniuncta essent conducendo. eodem pertinet quod venditione separatae singularum civitatum decumae eiusdem mancipis emptione rursus colligatae inveniuntur¹⁴²⁾. quae vectigalium redimendorum copulatio multiplicem quodammodo reddebat societatem, singulorum publicorum propriis praedibus praediisque obligatis: id quod cum cautionis natura requirit tum exemplum docet vectigalium duorum a Ptolemaeo rege locatorum, quae qui conduxisset pro utraque parte praedes singulos dedisse fertur¹⁴³⁾. iam fieri quoque potuisse facile intellegitur ut etiam mancipis unius cuiusque publici apponerentur diversi. atribui denique ita fortasse solebat si qua vectigalia plura habebat societas, quasi tot societates contineret, quot vectigalia conduxerat¹⁴⁴⁾. quae cum ita essent, videbatur illa quidem ex pluribus societatibus esse conflata, re una manebat, dum omnes socios communis quaestus vinculo tenebat. quin etiam tum erat individua, cum singulae eius partes per socios singulos singulave genera sociorum administrabantur¹⁴⁵⁾. societatis enim hoc genus id est, in quo unus quisque sociorum lucri damnique omnis, quaecumque ex universa

¹³⁸⁾ Hübner in *Hermae* v. I p. 136 sqq.; Hirschfeld *Verw.-Gesch.* I p. 75 adn 5 (tit. 112).

¹³⁹⁾ C. VI 915; Mommsen *St.-R.* I p. 331 adn. 5. (ti. 5).

¹⁴⁰⁾ C. XII 1082 c. adn. Hirschfeldii. (ti. 50).

¹⁴¹⁾ C. III 1209. 1363. (tt. 88. 89).

¹⁴²⁾ Apronius manceps, quem Cicero in actionum Verrinarum tertio identidem commemorat, intra tres annos agrorum Aetnensis, Agyrinensis, Catinensis, Hennensis, Herbitensis, Imacharensis, Leontini decumanus fuit. (cap. XII § 2).

¹⁴³⁾ *Ios. ant.* XII, 4, 4.

¹⁴⁴⁾ Hoc haud scio an ex Verr. III, 70, 165 appareat, quamquam societatem Siciliensem ad alterum potius multipartitarum societatum genus adscribendam esse existimamus.

¹⁴⁵⁾ *Dig.* 39, 4, 9, 4.

conductione fiunt, ita particeps sit, ut verbi causa, si qua societas ex scriptura trecenties sestertio conducta lucri sestertium quinquagies totidemque e portorio ducenties conducto acceperit, eorum pars sociorum, qui separatim portum administrarint, quadragies sestertio aestimanda sit, sexagies scripturariorum.

Verum de harum societatum, quae specie tamen ex aliis conflatae deprehenduntur, genere satis dictum est; restat ut de iis, si quae re ipsa se ita habuisse perspiciuntur, videamus. etenim, quam consociandae rei rationem in illo genere illustrando consideravimus, ea in plerasque multipartitarum societatum tantum abest ut quadret, ut, aliud quoddam harum fuisse genus alioque a capite manasse nisi statuerimus, eum nodum, in quem duplici illa societatum descriptione investigata incidimus, expedire nequeamus. quid enim? aut non probe locutus est Cicero, aut re, non verbo talis Bithyniae societas, qualem ille ait, fuisse putanda est, in ea ut multiuges aliae integrae inessent societates. quidnam enim sibi volunt societates eae, e quibus constitisse illam Tullius docet. si nihil omnino habuissent, quo proprio privatoque fruerentur, praesertim cum etiam administratas eas communiter esse commune munus magistri declaret: namque in eadem epistula, cuius paulo ante verba non nulla interpretati sumus, Cicero, dum pergit, P. Rutilium universae societatis Bithyniae magistrum una cum Cn. Pupio, quem in operis eiusdem societatis esse ait, Crassipedi commendat. quid quod Ciliciae societate itemque Asiatica illa ampliore quae inter se quodammodo copulatae continebantur minores alterae familias proprias singulae singulas aluisse reperiuntur, alterae maximae honestissimaeque appellantur? neque vero per se ipsum veri simile est, in qua quisque provincia pecuniam collocarat publicanus, eius provinciae publicorum socium eum fuisse omnino omnium adeoque inter eos publicanos, qui eodem loci opes contulerant, omnia fuisse communia, ut in portu re bene gesta vel scripturae iactura portitor laboretur huiusve propter calamitatem scripturarius, cum fructum magnum e pascuis tulisset, naufragium faceret in portu. nam ipsa res distinctionem ac separationem aliquam singularum rationum, quo latius societas patebat, eo magis postulare videbatur, ne forte partibus singulis universitas neve huic illae potius quam sibi vel prodessent vel obsessent. accedebat illa negotii gerentium ratio institutioque, ut partes non ita magnas in pluribus societatibus singulas quam aliquanto maiorem partem in sola societate diligentissimus ac cautissimus quisque habere mallet, ne esset scilicet εἰς ἅπαν ὁ κίνδυνος, ἀλλ' εἰς μέρος μικρόν ἐπὶ κέρδεσι μεγάλοις ¹⁴⁶). porro,

¹⁴⁶) Plut. Cat. mai. 21.

quia unum quodque cuiuslibet provinciae publicum non regionatim dividetur a censoribus, sed universum fruendum venibat, id onus singulae totum suscipere non numquam aut noluerint societates aut minime potuerint necesse est; ex quo consequitur ut ad singula vectigalia vel etiam provincias singulas conducendas complures societates coierint, non quomodo ac rationem omnino inter se communicarent, sed eo dumtaxat consilio, ut uno nomine licerentur, emptionem cum populo contraherent, conductionis mercedem persolverent. quibus haec sociandi negotii ratio non solum ut publicorum partibus separatim fruerentur facultatem dabat, verum etiam in licitando maximas praebebat utilitates. vetus nimirum Romanorum ille fuit mos, ut publica vectigalia ultrove tributa mancipis aemuli, quo facilius maioreque cum emolumento licitationum contentiones devitarent, communi pacto et convento constitutis pretiis per nuntium emerent in commune. ac rerum privatim locandarum pretia e conductorum consensu statui solita esse Cato auctor est, ut tamen id per ius licuisse neget¹⁴⁷), publica vero in commune redimendi ius consuetudinemque et Livius significat, et testatur Ulpianus, quorum alter societates tres, de quibus supra commemoravimus, commeatum exercitui Hispaniensi praebendum haud scio an hoc iure una conduxisse narrat, alter sic ait: ut in conductionibus publicorum item in emptionibus — qui nolunt inter se contendere solent per nuntium rem emere in commune¹⁴⁸). at dicat quispiam: equid hoc ius attinet ad morem illum copulandarum societatum? immo vero nisi hoc testatum esset, nosmet ipsi idem fuisse auguraremur coniectura, quippe quo iure sublato societatum e ceteris societatibus confundendarum ratio intellegi nullo modo possit, si quidem harum singularum quaestum non temere negavimus cum ceteris eiusdem universitatis partibus solitum esse communicari. nisi enim publica communiter redimere licuisset sic, ut separatim illis qui redemerant fruerentur, aut omnino inter se singulae non coissent societates, aut ita coissent, ut ipsae societates esse desinerent. nec sine nuntio quicquam in commune redimere potuerunt: suum enim quaeque mancipem retinebat, quoad societas manebat. et Livius societates illas tres, dum hominum undeviginti fuisse commemorat, inito numero sociorum universorum unam indicat effecisse societatem. nam illud quidem, communiter rem a censoribus redemisse societates eas, si quae inter se copulatae inveniuntur, ut rationes atque exempla supra allata repetere omittam, cum per se facile intellegitur, quia societas vectigalium nulla constare potuit quae non

¹⁴⁷) Cat. de r. r. CXLIV. cf. Mommsen hist. R. I⁷ p. 850 adn.

¹⁴⁸) Dig. 17, 2, 33 (ad edictum).

addictione censoria niteretur, tum inde colligitur, quod singularum provinciarum universos publicanos pecuniam populo simul solvisse communiterve debuisse prolatis iis, quae ad publicanos Siciliae, Asiae, Ciliciae, Syriae pertinent, testimoniis satis constat.

Quas igitur socialis cuiusdam communionis vinculo inter se devinctas videmus sociatasque societates, semper eas coniunctim quidem rem redimere redemptaeque pretium uno nomine populo referre, quaestum vero privatum colere propriumque aut facere lucrum aut damnum contrahere solitas esse cognitum habemus. quae quidem emptionis communiter faciendae ratio quantum ab illa, de qua supra diximus, distet quo magis collata utraque re intellegatur, si geminatae exemplo societatis, quam in illo genere iunctarum societatum demonstrando portum et scripturam simul conducentem finximus, ad hoc alterum genus explicandum utamur ita, ut utriusque sociorum partis condicione commutata eandem ceteroquin configurationem persequamur, necesse est, quamvis ab initio in ea societate convenisse posuerimus ut socii scripturarii communis impensae partes tres, duas portorii socii conferrent, nihilo minus, cum e portu universa societas lucri tantum, quantum e scriptura, accepisset, universum ex utraque re quaestum inter societatem utramque aequis portionibus dividi debuisse statuamus. quae cum ita sint, vel quod Cicero dicit «HS LX socios perdidisse ex vicesima portorii Syracusis»¹⁴⁹), eam pecuniam societatis Siciliensis magistros iis solis sociis, quorum nomina in quadragesimae portus Syracusani matriculam relata erant, expensam tulisse arbitramur. quoniam autem seiunctae erant rationes singularum societatum, hae quo maioris lucri spem habebant, si solae proprium negotium feliciter transgessissent, eo maius periculum aliena ope privatae suscipiebant. quod utrumque, nisi suo quaeque Marte pugnasset, futurum fuisse aliquanto levius nec facile quemquam socium fuisse decocturum, si rem singuli sine universarum illarum, quae provincias cunctas complectebantur, societatum ruina deperdere non potuissent, cum satis liqueat, quod ii, qui, ut M. Terentius Varro, M. Bruti quaestor, familiaris M. Tullii¹⁵⁰), se in societates publicanorum contulerant, maximis damnis saepe affecti sunt, separati singularum societatum quaestus signum esse videtur. putamus autem plerasque ampliorum societatum e societatibus singulas constituisse non ita paucis, quas inter societates minores regionum locorumve singulorum vectigalia essent distributa, sociosque plurimos partes simul in pluribus

¹⁴⁹) Verr. II, 75, 185.

¹⁵⁰) Cic. ad fam. XIII, 10, 2.

habuisse, quo maiorem sibi tutioremque quaestum compararent. quae quidem res maximis difficultatibus obstructa esset, nisi quaecumque inter se copulatae erant societates communiter administrari solitae essent. quid igitur est? quam rei administrandae rationem quasi e natura ipsa huius societatum generis videmus consequi, eam iam ante demonstravimus Bithyniae socios iniisse. adde exempla communiter administratae societatis Siciliensis¹⁵¹⁾ quaeque eodem in portu et scriptura magistro usa esse reperitur Asiaticae¹⁵²⁾. iam vero, nisi communis fuisset copularum societatum administratio, non illae communis utilitatis rationem ducere, non una habere negotia aut, si quae communiter susceperant, in iis gerendis ad communem voluntatem sese accommodare, non denique, id quod fere maximum est, unius societatis personam gerere exsequive iura potuerunt.

Quoniam vero ad hunc locum perventum est, dubitationem necesse est tollendam curemus eam, quae ex ipsius iurisconsulti verbis, quo auctore ad societatum emptionis communiter contrahendae causa coitarum genus demonstrandum usi sumus, nasci posse videtur de iure eorum, quos ille ait publica per nuntium emere consuesse in commune. quos quidem, cum nosmet societatis quodam vinculo inter se coniunctos fuisse ita docuerimus, ut, quotienscumque cum propriis singulorum sociis ad hastam accessissent, societatem e ceteris societatibus conflatae quandam existere solitam esse obtineremus, eo iure fuisse Ulpianus censet, quod a societatis iure longe remotum esset¹⁵³⁾. quid igitur est? num a gravissimo teste destituti sumus? immo nihil ille addit, quod non ab initio provideri potuerit. nam quoniam societas nulla salvo societatis iure e ceteris societatibus ad eandem rem exercendam pertinentibus constare potest¹⁵⁴⁾, aut unam esse si qua plures contineri dicuntur societatem neque ex his nisi specie constare, id quod ab auctorum qui de hoc genere meminerunt sententia plane abhorret, aut illo nomine etiam eas publicanorum coniunctiones, quae a privati iuris societate procul distarent, nuncupari potuisse

¹⁵¹⁾ Verr. II, 70 sqq.; III, 71.

¹⁵²⁾ V. adn. 115; cf. adn. 111.

¹⁵³⁾ Ulp. l. l.: ut in conductionibus publicorum item in emptionibus: nam qui nolunt inter se contendere solent per nuntium rem emere in commune; quod a societate longe remotum est. et ideo societate sine tutoris auctoritate pupillus non tenetur, attamen communiter gesto tenetur.

¹⁵⁴⁾ Cf. Achille Renaud das Recht der Actiengesch., Lps. 1875 p. 806 adn. 17: eine Art von Fusion, bei welcher mehrere Actiengesellschaften sich in der Art verbinden, dass jede, obwohl unter gewissen Modificationen, bestehen bleibt, giebt es nicht,—indem es sich hier nur um eine vertragmässige Verbindung mehrerer Actienvereine unter theilweiser Modification ihrer Statuten handelt.

luce clarius est. etenim hoc dumtaxat iurisconsultus monet, agere pro socio minus licuisse ei, qui quid cum altero communiter emisset per nuntium. quae cum ita sint, iam intellegimus haudquaquam futurum fuisse ut illa quasi foedera societatum societates appellarentur, nisi publicanis publicae, cui inservirent, utilitatis causa haec data exceptio esset. et ipse Ulpianus iure illo emi rem ullam nisi quae publice veniret potuisse negat ¹⁵⁵). nimirum populus, cum ad vectigalia, quae ipse per suos magistratus exercere minime posset, administranda tantas requireret eaque et forma et auctoritate societates, quae ad ipsius vicem quam proxime accederent, ne forte hae aut, si minutis conductionibus sese dedissent, infirmae ac debiles, aut propter temporis quo conductis publicis frui possent exiguitatem parum stabiles essent, tantum abest ut, quominus ad publica communiter conducenda conspirarent, ut in privatis rebus solebat, publicanos prohibuerit, ut cum cetera iis iura dederit tum etiam «societates» quas appellavit publicanorum, quae ceteras omnes, quaecumque se quinto quoque anno ad vectigalia simul exercenda administrandaque pacto conventoque alligarent, complecterentur, in singulis provinciis quasi perennis publicanorum dominationis firmamenta legibus publicis constituerit. sed de his iam ut disseratur locus postulat; quam firmiter autem illud institutum publicanorum ordinis opes stabiliverit quantique in re publica momenti fuerit longius explicandi negotio supersedemus.

IV.

Etsi nobis in societatum vectigalium formam constitutionemque ita inquirere visum est, ut in iis, quae philologorum ratione atque arte indagari posse viderentur, periclitaremur, iuris vero interpretandi controversias reiceremus ad peritiores, tamen ne susceptum quidem munus omni numero explendi facultas erit, nisi eone societates illae iure fuerint, ut corpus haberent, necne constituerimus ¹⁵⁶). itaque qui id negant viris

¹⁵⁵) Non de emptionibus privatarum rerum, sed de publicorum ut conductionibus item emptionibus cogitasse Ulpianum interpretes graeci testes sunt: ὑπερ συμβαίνει: ἐπὶ τῶν δημοσίων μισθώσεων τε καὶ πράσεων καὶ ἡνίκα τινὲς ἰὰ τὸ μὴ φιλονεικεῖν πρὸς ἀλλήλους διὰ μέσου ἀγοράζουσι (Basil. 12, 1, 33. Heimb. I p. 742).

¹⁵⁶) Velut rei publicae instar constitutas societates fuisse nisi demonstrato corpore sitis demonstrari non potest.

doctis ¹⁵⁷⁾ cum alios ¹⁵⁸⁾ non temere restitisse profiteamur nobis videri, tum ipsi aliqua ex parte occurrere conabimur; qui autem aiunt ¹⁵⁹⁾, horum sententiae opinionisque participes sumus ita, ut tamen vereamur ne latius hi illud ius quam nosmet volumus patuisse velint. nam illud quidem satis constare arbitramur, alio iure res contrahi inter privatos, alio inter privatos et populum ¹⁶⁰⁾; verum, quoniam rem populus cum mancipe solo contrahit, etiamsi, quatenus ex re publica est, societatem quoque respiciat, non est quod huius naturam negemus eandem esse ac societatis privatae, nisi qua societas populi iussu excepta sit ne eodem quo privatae iure esset. ita fit ut societates vectigalium causa initae non nullae nihil distare reperiantur a societatibus privatis ¹⁶¹⁾. quae cum ita sint, cetera quidem publicanorum iura praecipua ¹⁶²⁾ censemus communia fuisse societatum omnium, corpus autem nulli habere licuisse, nisi rem ipsa cum populo contraxisset deque eius publici sociis lege sanctum esset ut corpus haberent ¹⁶³⁾.

Ac quod ab ipsa societate rem contrahi debuisse diximus, eo videlicet spectat, ut inter plures societates, si quid communiter conduxissent, sociatum corpus fuisse significemus: non enim cum singulis societatibus contractam rem censores habebant, sed cum universitate, quae ipsa nomen

¹⁵⁷⁾ Cf. Cohn z. röm. Vereinsrecht p. 155 sqq., ubi aliorum quoque opiniones, quaecumque de hac re in medium prolatae sunt, referuntur. hunc secutus est Dietrich (die rechtl. Natur der soc. publican., Progr. der Schule St.-Afra in Meissen 1889).

¹⁵⁸⁾ Pernice Parerga, Savigny-Ztschr. f. Rechtsgesch., r. Abth., V, 1884, p. 105 adn. 3.

¹⁵⁹⁾ Mommsen de coll. et sodal. Rom. p. 85; Pernice Labco I pp. 289—308; alii.

¹⁶⁰⁾ Cf. Mommsen, die röm. Anfänge von Kauf u. Miethe, Sav.-Ztschr. f. RG., r. A., VI, 1885, p. 261.

¹⁶¹⁾ Dig. 17, 2, 65, 15; 17, 2, 5 pr.; Pernice Parerga l. l. et Sav.-Ztschr. f. RG., r. A., IX, 1888, p. 263 adn.—fieri porro non potest ut plurimi illi iique maximi mancipēs, quorum de sociis mentio nulla fieri solet, velut Q. Saenius Pompeianus (tit. 105; Front. ad M. Caes. V, 34 Nab.: ratio eius tractabitur; cf. Verr. III, 71, 167: reddas societati), auctores fuisse agnoscantur earum societatum, quae corpus haberent. quid si unum socium manceps habebat (cf. legis met. Vipasc. verba «conductor socius atorve eius»; Dig. 17, 2, 65, 15)? num e duobus sociis constare corpus poterat? cur denique Gaius (Dig. 3, 4, 1 pr.) societates ultro tributorum redimendorum causa iniri solitas nullo verbo corpus habuisse significat? atqui ad negotia cum populo contrahenda initae erant a publicanis.

¹⁶²⁾ Velut quod ius ad sociorum heredes pertinet societatemque socii morte non dissolvendam (cap. VIII). quod quidem qui corpus societatibus vectigalium concessum esse contendunt afferre solent cum supervacaneum argumentum tum parum fidum. namque hoc ius et ipsum ex negotiorum quae publicani contrahebant ratione natura consequitur, nec societatum diuturnitatis causa existimari potest, nec denique a praedicatorum societate videtur fuisse alienum (l. Malac. c. LXV).

¹⁶³⁾ De aetate a qua hoc ius repetendum esse videtur dixit Pernice (Labco I p. 296; cf. Mommsen de coll. et sod. p. 119). nomen corporis postea demum usurpari coeptum esse veri simile est, nam eadem vi societatis nomen poni solebat (Dig. 3, 4, 1 pr.; 37, 1, 3, 4).

cum corpore acceperat societatis¹⁶⁴). quid quod singularum huius modi societatum pleraeque tantum abest ut corporum instar constitutae fuerint, ut ne administrari quidem separatim solitae esse videantur? accedit quod quotcumque societates unum publicum, si quod indivisum locabatur, simul conduxerant necesse est corpus habuerint indivisum. verum etiam eae societates, quibus suum cuique corpus habere licebat, publicis communiter conductis, nisi communis corporis vinculo constrictae essent, ne cohaesis-
sent quidem inter se ita, ut unam societatem efficerent. quae quidem, si qua umquam corpus habuit societas vectigalium, hoc profecto iure debuit esse, quo si caruisset per se ipsam constare nullo modo potuit. tenemus igitur corpus, quod ipsum appellabatur societas vectigalium, partim societatum quaestuariarum singularum, si quid per se singulae conduxerant, proprium, partim coniunctarum inter se aliquot ad rem communiter conducendam fuisse commune itaque factum esse ut aliis corporibus societates huius modi singulis singulae, plures aliis continerentur¹⁶⁵).

Legibus societates vectigalium, quae eadem corpora erant, constitutas esse et ex iis, quae supra diximus, facile intellegitur, et quae infra afferentur apertis verbis asseverat Gaius. dictae autem singulae leges sunt societatibus publicorum singulorum: ait enim Tacitus plerasque vectigalium societates a consulibus et tribunis plebei constitutas acri etiam tum populi Romani libertate¹⁶⁶). namque illis legibus plebisve scitis non solum, id quod non nulli viri doctissimi volunt¹⁶⁷), vectigalia vel locationes censorias institutas esse dicit, sed ipsas societates constitutas. cui rei exemplum adiungi facile potest legis a C. Sempronio Graccho latae de locanda Asia, qua lege tribunus ille plebis maximas in ea provincia societates fundavit¹⁶⁸). itaque

¹⁶⁴) Dubitandum est an ita tantummodo per nuntium emere licuerit in commune, si personae vice fungeretur communio (v. adn. 155; cf. adn. 93).

¹⁶⁵) Quin etiam in ea societate, quae, ut sola vectigal conduxerat, suum corpus habuisse perspiciatur, distinguendum corpus est a societate quaestuarium: haec nimirum omni tempore poterat distrahi (cap. VIII), illud perpetuum constabat, erat enim quasi rei publicae pars. itaque qui distractae societatis negotia suscipiebant, etiam in corporis ius succedebant.

¹⁶⁶) Ann. XIII, 50.

¹⁶⁷) Gronovius, Nipperdey ad h. l.; Dietrich die rechtl. Natur p. 15. cf. Mommsen St.-R. II p. 102 adn. 1; de coll. et sod. p. 86. Karlowa (Rechtsgesch. II p. 656 adn. 1), quamquam obscura esse Taciti verba confitetur, sic tamen ait: «sie (sc. die Stelle) deutet doch auf eine Betheiligung der Magistrate bei der Bildung dieser Societäten hin».

¹⁶⁸) Vic. Verr. III, 6, 12: ceteris (provinciis) censoria locatio constituta est, ut Asiae lege Sempronia; cf. Front. ad Ver. II, 1 Nab. p. 125; App. b. c. V, 4; schol. Bob. in Planc. Or. V p. 259.—leges quibus vectigalium locationes constitutae esse, reperiuntur enumerat Lange, St.-Alt. II p. 674 sq.

quibus legibus provinciarum singularum locationes censoriae institutae sunt, iisdem sanctum esse apparet ut earum provinciarum publicanis societates illas coire liceret. quas leges censores aliive magistratus, quotienscumque vectigalia publica locabant, in proprias locationum leges transferre solebant, ut tamen non nulla quae ad locationis condiciones pertinebant aut adderent aut commutarent¹⁶⁹); de coeundi autem iure tantum abest ut detrahere quicquam consuessent, ut vel tralaticio quodam capite semper de ea re cavisse videantur atque adeo censoriae leges multarum societatum fuerint fundamenta: multas enim locationes censores proprio arbitrio senatusque auctoritate constituerunt¹⁷⁰).

Iam libet animum ad Siciliae vectigalia attendere, ex quibus considerandis ad comprobanda ea, quae supra posuimus, non nullum argumentum redundaturum esse confidimus. in qua provincia miramur scripturam et portorium maximis equitum Romanorum societatibus, agrorum decumas, opimam populi Romani praedam, a tenuioribus mancipibus exerceri solitas esse. sed enim Romani, sicut in Aegypto in ipsorum dicionem redacta veterem publicorum administrandorum consuetudinem a Ptolemaeis traditam servaverunt, ita in Sicilia, cum Graecorum uti institutis domesticis quam sociorum offensione suscepta usitatam exigendi frumenti rationem disturbare novamque periclitari mallent, ne legem quidem venditionis decumarum neve vendundi aut tempus aut locum commutarunt¹⁷¹). quamobrem decumarum Siciliensium mancipis, humillimi plerumque homines nec cives Romani¹⁷²), iique et familiarum saepe egentes¹⁷³) et redemptis decumis ita frui soliti, ut eas ipsae civitates lucro dato publice acciperent¹⁷⁴), sicut a Cicerone despiciuntur, ne publicani quidem proprie vereque dicebantur¹⁷⁵) neque eodem quo ceteri publicani iure erant,

¹⁶⁹) Schol. Bob. l. l. (adn. 110).

¹⁷⁰) Sc. de Ascl. l. l. (adn. 98); Liv. XXIX, 37, 2; XXXII, 7, 3; XXXX, 51, 8.— sintne societatum pleraeque posterioris aetatis legibus, velut Iuliis, confirmatae (cf. Pernice Labco I p. 299 adn. 33), in medio relinquimus; Suctonius vero, quod in Caes. v. c. 54 societatum mentionem facit, sociorum populi Romani foedera potius quam publicanorum societates dicere videtur.

¹⁷¹) Cic. Verr. III, 6, 14.

¹⁷²) Velut Aeschrio (Verr. III, 33, 77) et Theomnastus (43, 101) Syracusani.—servi quoque quidam Venerii, Diognetus (38, 86), Bariobal (39, 89), Symmachus (40, 92), quartus non nominatus a Cicerone (43, 102), Verris libidine et licentia mancipis instituti sunt.

¹⁷³) Verr. III, 38, 86. familiarum loco mancipis apparitores quosdam a praetore assignatos habebant (25, 61; 26, 65; 27, 67) decumasque saepius partim per hos partim per magistratus civitatum exegerunt.

¹⁷⁴) Verr. III, 27, 67; 30, 71; 36, 83; 37, 84.

¹⁷⁵) Verr. III, 12, 31; 20, 50; 33, 77; 38, 86 sq.; 39, 89 mancipis publicani appellantur εἰρωνησῶς. 13, 32 et 34 generatim opponuntur publicani aratoribus.

propterea quod pignora quominus caperent lege prohibebantur¹⁷⁶). equites vero Romani, quamquam quantos fructus ex decumarum conductione capere possent ipsi minime inscii erant, tamen ad universum hoc vectigalium genus conducendum societates numquam coierunt neque ullas res opesque huius rei causa in eam provinciam contulerunt, nisi quod singuli minuta quaedam negotiola in vernaculorum mancipum modum admissis privato consensu sociis habebant¹⁷⁷). veras autem vectigalium societates inituros illos fuisse, si lege potuissent, ob eamque demum causam non potuisse, quia Siciliae decumae in ipsa provincia lege Hieronica, non Romae censoria venirent, vel eo apparet, quod magno decumarum conducendarum desiderio publicani tenebantur: notum enim est L. Octavium C. Cottam consules, cum illi ut saltem vini et olei et frugum minutarum decumae Romae censoriis legibus locarentur tentavissent, recusantibus Siculis non a vetere more legeque Hieronica recedere decrevisse¹⁷⁸). quod conatum ipsum declarat publicanos sine legis permissu ita in Sicilia ut in ceteris provinciis consuerant dominari non potuisse; cuius quidem dominationis principium id erat, ut magnaë illae constituerentur societates. patet igitur has una cum locatione censoria solitas esse constitui¹⁷⁹).

Nec vero ad tempus, ut privatae solent, societates constitutas esse in promptu est, sed ita potius, ut quotienscumque ea publica, ad quae pertinebant, locata essent, inter eos, qui illa conduxissent, rata esset societas. quae quidem quoniam a societatibus lucri ex vectigalibus faciendi interque socios communicandi causa initis, quas quaestuiarias diximus, sive harum plures sive unam complectebatur, omnino erat disiuncta, dum hae quinto quoque anno aut mutantur aut continuantur, ipsa perpetuo constabat, non quia socios retineret eosdem, sed quia ei certum vectigal perpetuo administrandum attributum erat. ita societates illae, quae eadem corpora erant, plures quidem quam ipsa vectigalia esse nullo modo poterant, coniungere autem sese aliae cum aliis intra eiusdem provinciae fines ad rem communiter gerendam communicandaque iura ita consuerant, ut singulae in provinciis singulis, sicut ante diximus, plerumque fuisse videantur. quae semel factae coniunctiones haud facile dissolvebantur, cum et

¹⁷⁶) Verr. III, 11, 27; cf. Degenkolb, die lex Hier. p. 52 sqq.

¹⁷⁷) Verr. III, 64, 148.

¹⁷⁸) Verr. III, 7, 18.

¹⁷⁹) Quod praedia lege Hieronica nulla subsignari potuisse videntur nisi quae in Sicilia sita erant, quo argumento Goettlingius (Gesch. d. röm. Staatsverfassung p. 417) maxime utitur, ut Siciliae decumae cur ab ipsis Siculis conduceri solitae sint explicet, nequaquam per se ipsum impedimento potuit esse, quominus decumarum exercendarum causa tales societates, quales ad cetera vectigalia fruenda initae erant, constituerentur.

quaestuariatum societatum magna pars per multa lustra continuarentur¹⁸⁰), et novae ita fieri solerent, ut se ad veterem societatem applicarent. nam contra coniunctarum societatum vires qui liceri auderent aut nulli erant, aut, si forte exstiterant, vix poterant discedere superiores¹⁸¹). quare tantum abest ut iis, qui societates a consulibus et tribunis plebei constitutas acri etiam tum populi Romani libertate usque ad Neronis aetatem permanere potuisse negant, dum Taciti illa verba de vectigalibus, non de societatibus facta esse interpretantur, assentiamur, ut quae ille narrat, quoniam ea cum ad ipsarum societatum diuturnitatem tum maxime ad iuris perpetuitatem referenda censemus, pro gravissimo testimonio, quo quae de ea re docuimus confirmentur, habeamus.

Quae cum ita sint, societates de quibus agimus non dissimiles fuisse perspicimus collegiorum¹⁸²), quibus numquam licet adnumerentur, attamen, dum cum his municipiisque copulantur¹⁸³), quodammodo adaequantur ita, ut certe propius ad collegiorum quam ad societatum privatarum similitudinem accessisse intellegantur. nimirum neque rei publicae forma, de qua infra dicemus, neque causa perpetua omnino carebant. accedit quod, sicut sodaliorum ac collegiorum non nullorum¹⁸⁴), item vectigalium socii tali religione obstricti esse videntur, ut iis contra socios iudicare minus liceret. de qua re ita Cicero: inimicus (sc. Flacco) M. Caelius, quod, cum in re manifesta putasset (sc. Flaccus) nefas esse publicanum iudicare contra publicanum, sublatus erat e numero recuperatorum¹⁸⁵). non modo enim de publicanis eiusdem provinciae, sed etiam societatis eiusdem hoc loco agitur, id quod, ut coniunctam Asiaticorum publicanorum rationem omittam, res ipsa loqui videtur. quid enim? num universus publicanorum ordo, quorum ex numero multi sedebant iudices¹⁸⁶), erga unum quemque publicanum illa religione devinctus esse habebatur? ceterum, etiamsi hoc ita fuisset, nihilo minus

¹⁸⁰) Cf. Cic. de imp. Pomp. 7, 18: neque enim isdem redimendi facultas erit propter calamitatem.

¹⁸¹) Accedit quod socii, ut mos erat et Graecorum et Romanorum, data iis, qui contra licituri erant, pecunia, ne ad hastam accederent, facile, quominus res ab ipsis abiret, prohibere poterant. Verr. III. 42, 99. Boeckh Staatshansh. d. Ath. I p. 406.

¹⁸²) Verum tamen societates erant ad vectigalia exercenda initae, ut nec corpora collegiave hominum videlicet qui in eodem negotiorum genere versentur aut haberi aut appellari possint, id quod perperam audeo Schulten de convent. civ. Rom. p. 99.

¹⁸³) Mommsen de coll. et sod. p. 85.

¹⁸⁴) Ibid. p. 4.

¹⁸⁵) Cic. pro Flacco 4, 11.

¹⁸⁶) Cic. pro Mur. 33, 69: quid si omnes societates venerunt, quarum ex numero multi sedenti iudices?

quae res ab universo observabatur ordinē quanto severius a singulis societatibus observari debuerit coniectura quisque facile assequi potest.

Iam vero cum de societatis persona quae ante id tempus vigerat opinio in controversiam vocata esset, hi viri docti, qui societates vectigalium corpus habuisse negabant, publicanorum quaedam collegia sodalicia circumspiciebant, quibus corpus societatibus abiudicatum addicerent¹⁸⁷⁾, itaque cum alia eius rei argumenta eaque minus probabilia tum etiam aurariarum collegium in Dacia constitutum afferebant, quod quin publicanorum fuerit nec nobis dubium esse videtur¹⁸⁸⁾. in primis autem Gaii verba ea, quibus ille universi societatum iuris quasi lineamenta adumbraverat, pertemptabant, quae, quoniam nobis quoque excutienda sunt, ex re esse censemus ut adscribantur ita, quem ad modum in Digestis (3, 4, 1, pr. § 1) excerpta reperiuntur: neque societas neque collegium neque huius modi corpus passim omnibus haberi conceditur: nam et legibus et senatusconsultis et principalibus constitutionibus ea res coercetur. paucis admodum in causis concessa sunt huius modi corpora, ut ecce vectigalium publicorum sociis permissum est corpus habere vel aurifodinarum vel argentifodinarum et salinarum. item collegia Romae certa sunt, quorum corpus senatusconsultis atque constitutionibus principalibus confirmatum est, veluti pistorum et quorundam aliorum et naviculariorum, qui et in provinciis sunt. quibus autem permissum est corpus habere collegii societatis sive cuiusque alterius¹⁸⁹⁾ eorum nomine, proprium est ad exemplum rei publicae habere res communes, arcam communem et actorem sive syndicum, per quem, tamquam in re publica, quod communiter agi fierique oporteat agatur fiat. quae quidem quod in Βασιλικῶν octavo ita reddita inveniuntur, ut quas Gaius societates dixisse traditur *ἐταιρεία*, quod

¹⁸⁷⁾ Cohn z. röm. Vereinsrecht p. 176 sqq.

¹⁸⁸⁾ Tit. 94. Hirschfeld Verw.-Gesch. I¹ p. 77 adn. 4; Sitzgsber. d. Wiener Ak. 77, 1874, p. 369. Liebenam Vereinswesen p. 116.

¹⁸⁹⁾ Horum verborum cum de sententia ambigi non possit, praesertim cum in Graccorum interpretatione haec legantur: οἷς καὶ σωματεῖα ἔχειν ἐπιτέτραπται κολεγίου ἢ ἐταιρείας ἢ ἐτέρου τινός, tum de tradita conformatione dubitamus utrum Laurentiani codicis lectio quae est cuiusque (quippe cuius pronominis vis ad pronominis quod est cuiusquam significationem non numquam accedat) servanda sit an huic alterius codicis lectio anteferenda quae est cuiuscumque defendique potest Ulpiani loco Dig. 17, 2, 29 pr.: vel pecuniae vel operae vel cuiuscumque alterius rei causa. iam societatisve, quae Mommseni emendatio est, orationem videtur reddere aliquanto planiorem.

vocabulum collegium sodaliciumve proprie declarat, appellentur¹⁹⁰⁾, eam rem et illi viri docti ad fidem iis potius, qui haec transscripsissent, quam iis, qui in sermonem graecum transtulissent, abrogandam valere iudicarunt, et nos certe tantum abest ut Graeculorum incuriae tribuamus, ut explicandi conatu studioque quam dignissimam esse censeamus. nam, quoniam in ceteris illius corporis legibus, quaecumque ad publicanos pertinent, horum societates *κοινωνιῶν* nomine nuncupantur¹⁹¹⁾ itemque publicorum socii in enarratione eidem capiti adnexa¹⁹²⁾, ut apud scriptores graecos¹⁹³⁾ atque in lapidibus graece inscriptis¹⁹⁴⁾ solent, *κοινωνοὶ* vocantur, *ἐταιρείας* illas de industria ab interprete commemorari credamus necesse est, praesertim cum, cuius de Indice et caput illud ipsum et enarratio emanarunt¹⁹⁵⁾, Stephanus, Iustiniani aequalis, et, quia ab integrioribus iuris fontibus quam qui posteritati suppeditarunt hausisse videtur, inter idoneos auctores habendus sit, neque ipse aut interpres parum fidus aut iurisconsultus minus peritus fuisse arguatur¹⁹⁶⁾. qua re adducimur ut graecos interpretes, cum hunc locum explicarent, minus de publicanorum societate quaestus causa inita quam de collegio quodam vel etiam sodalicio cogitasse existimemus.

Quid igitur? emendandane sunt quae in Digestis leguntur Gaii verba sic, ut, cum collegium in societatis locum supponi nequeat, in sodalicium commutetur societas? quod qui deposcebant, cum societatum quarundam naturam prope eandem ac collegiorum fuisse ignorarent, non solum ex iis, quae nosmet ipsi ante concessimus, aliter concludi posse negabant, verum etiam alias quasdam rationes, quibus traditam lectionem suspectiorem redderent, subiciebant; itaque et sodalicii nomen in Digestorum corpore usque quaque deletum immutatumve esse commemorant, quam illius corruptelae causam fuisse voluerunt, et verba quae sunt collegii societatis ex collegii sodalicii nomine tritioe depravata esse con-

¹⁹⁰⁾ Bas. 8, 2, 101 (Heimb. I p. 419): οὐ πᾶσιν ἐφεῖται ποιεῖν ἐταιρείας ἢ συστήματα ἢ σωματεῖα, ἀλλ' ἐπὶ δημοσίων τελῶν καὶ μετάλλων ἀργύρου καὶ χρυσοῦ καὶ ἀλικῶν, καὶ μαγκίπων καὶ ναυκλήρων, καὶ τινῶν ἄλλων ἀπὸ νόμου βεβαιωθέντων.

¹⁹¹⁾ Bas. 40, 1, 3 (Heimb. IV p. 51)—Dig. 37, 1, 3, 4; Bas. 26, 1, 22 (III p. 97)—Dig. 46, 1, 22; Bas. 12, 1, 61 (I p. 769)—Dig. 17, 2, 63, 8.

¹⁹²⁾ Οἷον ἐπιτέτραπται τοῖς κοινοῖς (scr. κοινωνοῖς) τῶν δημοσίων τελῶν—σωματεῖα ἔχειν, ὡς περ οὖν καὶ τοῖς κοινωνοῖς ἦτοι ἐκλήπτορσι τῶν ὀρύχων ἦτοι τῶν μετάλλων τοῦ χρυσοῦ καὶ τοῦ ἀργύρου καὶ τῶν ἄλλων.

¹⁹³⁾ Diod. XXXVII, 5: δημοσιῶναι κοινωνοὺς ἐσχηκότας τοὺς ἐν τῇ Ῥώμῃ τὰς δημοσίας κρίσεις διαδικάζοντας. cf. Pol. I. 1.

¹⁹⁴⁾ Tit. 98. 100. Latyschev, inscr. orae septentr. Ponti Euxini I fr. 20.—cf. pap. Paris. XVII (Not. et Extr. XVIII, 2=F. I. p. 324).

¹⁹⁵⁾ Manuale Basil. ad h. 1. (Heimb. t. VI).

¹⁹⁶⁾ Heimbach Bas. t. VI pp. 14. 52. cf. Mommsen de coll. et sod. p. 87 adn. 1.

ciunt ¹⁹⁷). at potuisse societates vectigalium appellari *ἐταιρείας* aut superiore expositione comprobatum habemus aut certe nitbamur: id enim agebamus, ut eas a societatibus quaestuariis, quae graecae *κοινωνία* proprie vocantur, omnino diversas fuisse demonstraremus. itaque societatis vocabulo defendendo perpetua nostra suffragatur argumentatio. iam et sodalicii nomen ad publicanorum universitates minime convenire consentaneum est, et *ἐταιρεία* societatem quoque demonstrare glossae testantur ¹⁹⁸). deinde, si in Gaii verbis excerpendis mendaces fuerunt Digestorum conditores, sequitur ut, ubicumque cum collegiis publicanorum corpora copulantur, societatis nomen iidem interpolarint. atqui his locis societates Graeci *κοινωνίας* dixerunt. defecerunt, credo, curiosissimos interpretes integrioris illi fontes quique illo loco sagaciter sane eruditeque deprehenderunt mendacium eodem hic turpissime decepti sunt. verum non ita se res habet, sed illi, cum societatem vectigalium verbo quidem societatem esse, re tamen ipsa ad collegium propius accedere intellegerent, partim *κοινωνίας* verbo verbum reddiderunt, partim rem significarunt nomine *ἐταιρείας* ¹⁹⁹). ordo denique ae nexus Gaii sententiarum societatis verbo avulso prorsus dissolvuntur; sic enim alias cohaerere cum aliis aliisque respondere opinamur: «societatis nomine aut collegii nomine corpus datur. legibus, senatusconsultis, constitutionibus principum datur. ac legibus quidem concessum est corpus vectigalium publicorum et metallorum et salinarum sociis nomine scilicet societatis; senatusconsultis autem et principum constitutionibus collegiis quibusdam cum urbanis tum in provinciis constitutis confirmatum corpus est nomine collegii». ergo societatis mentionem clara voce postulat oratio.

Quodsi Gaii verba incorrupta tradita sunt, cum alia nos, quae ad societatum constitutionem penitus cognoscendam pertinent, edocent, tum hoc maxime ut videamus prorsus distingui solitum esse corpus, quod ipsum societas appellabatur, a societate quaestuararia, sive hanc unam sive plures complectebatur; cuius distinctionis certum indicium est, quod ne arca quidem propria corpus caruisse apparet: quis est enim quin videat non de quaestuarariae societatis arca verba facere Gaium ²⁰⁰)? quae quidem

¹⁹⁷) Cohn z. röm. Vereinsrecht p. 178 sqq.

¹⁹⁸) Corp. Gloss. Lat. ed. Goetz et Gundermann II p. 315: *ἐταῖρος* collega socius sodalis; *ἐταιρεία* sodalium (sic) sodalitas societas. cf. Dig. 47, 22, 4.

¹⁹⁹) Gierke (das deutsche Genossenschaftsrecht III p. 41), cui Cohnius corpus ad collegium, non ad societatem publicanorum pertinuisse persuasit, tamen tantum abest ut «societatis» verbum apud Gaium delendum censeat, ut illa collegia societates appellari solitas esse suspicetur. quam sententiam non ita afferimus ut probandam, sed ut eos etiam, qui Cohnio assentiuntur in summa, ab eodem de Gaii verbis emendandis dissentire significemus.

²⁰⁰) Cf. Renaud das Recht der Actienges. p. 136 sq.

res ea, quae de societatibus collegiorum instar lege constitutis disputavimus, omni ex parte comprobatur et confirmatur. nam etsi inferiore aetate fuisse publicanorum quaedam collegia a societatibus plane diversa satis constat²⁰¹), tamen Gaii testimonium in illa, quippe quae ne societates quidem appellentur, haudquaquam valere, in has vero vel maxime quadrare apertum est. quae enim iura societatibus Gaius tribuit, harum ea fuisse si quis negarit, neque societatum e ceteris societatibus compositarum communiterque factarum emptionum, neque eius, quae societati fuit cum re publica collegioque, similitudinis, nec satis superque testatae illius societatum diuturnitatis vel potius perpetuitatis causam aut rationem explicare poterit. quae ut ita sint, non dissimulamus tamen aetatis inferioris collegia publicanorum nescio quo modo nata esse videri e societatibus vectigalium: cum enim magnae illae societates sensim attenuatae debilitataeque essent, fieri potuit ut earum iura transferrentur in collegia corporave quibus singularum provinciarum, regionum, metallorum mancipia continerentur.

V.

Rei publicae instar societatem vectigalium constitutam fuisse Gaius verbis illis, quae proxime examinavimus, ita definite exprimit, ut demeremur viros doctissimos apertam manifestamque rem infitatos esse²⁰²). quod tamen, si quidem recte iurisconsulti clarissimi sententiam interpretando explanavimus, cum asseverat, nequaquam de omnibus affirmat publicanorum societatibus, sed de iis dumtaxat docet, quae legibus corpora facta sunt. et harum quidem proprium esse ait ad exemplum rei publicae habere res communes, arcem communem et actorem sive syndicum, per quem, tamquam in re publica, quod communiter agi fierique oporteat agatur fiat. quae singula ut etiam aliis documentis approbentur videamus.

Ac de re communi societatum illarum testis nobis Ulpianus est, ait enim a municipiis et societatibus et decuriis et corporibus bonorum possessionem agnosci posse²⁰³). eodem pertinet quod non numquam sociorum servi corpori ipsi societatis ita attributi inveniuntur,

²⁰¹) Cf. adn. 188 quacumque Schulten (de convent. p. 30) attulit de collegio conductorum publici piscatus Ephesiorum.

²⁰²) Cf. Mommsen de coll. et. sodal. p. 85.

²⁰³) Dig. 37, 1, 3, 4. quo loco non privatas societates designari cum ex rei natura intellegitur tum vero municipia decuria corpora cum societatibus comparata indicant.

ut cum manumittebantur nomen acciperent a corpore ²⁰⁴). porro societates, quamvis non nullis locis publicis frui sine dubio consuissent, nihilo minus etiam propria aedificia praediaque habuisse veri simile est ²⁰⁵), quae cum ceteros ad exercenda vectigalia afferrent usus, tum ad custodias disponendas vel maximos ²⁰⁶). iam arcam communem publicanorum corpori haudquaquam defuisse cum ex iis, quae modo diximus, colligi potest, tum apparet eo, quod quibus consociatum corpus erat societates, ut ante demonstravimus, conductionum pretia communiter solvere solitae esse reperiuntur ²⁰⁷). actores vero quos dicit Gaius omnino non inveniuntur ²⁰⁸) hoc quidem nuncupati nomine, nam et qui in lege metalli Vipascensis identidem commemoratur actor ²⁰⁹) conductoris actor est, non corporis, neque praeterea ulla omnino actorum mentio fit nisi duorum eorumque servorum nec satis certa, quae aliud quoddam horum fuisse munus significat non ita sane aut necessarium aut honestum neque exactoris procuratorisve officio fortasse dispar; nam hoc genus actores si ii fuissent, quos Gaius dicit, non inter Augustorum iidem libertos qui vectigalibus administrandis operam dabant invenirentur ²¹⁰). quos igitur ex iuris fontibus cognitos habemus actores aut non perpetuo fungebantur munere aut aliter forsitan appellabantur. ita liberae quidem rei publicae aetate societatum magistri, dum non solum domestica illarum negotia administrant, sed etiam cum iis, qui extra societates erant, societatis nomine agunt, actorum partes egisse videntur ²¹¹).

²⁰⁴) Tit. 113. Varr. de l. L. VIII, 83. Dessau C. I. L. XIV p. 4; Bull. dell' Inst. 1883 p. 215 sqq. cf. Liebenam Vereinswesen p. 245; Mommsen de coll. et sodal. p. 119.

²⁰⁵) Cf. Hübner C. I. L. II S. p. 879: *societas illa publicanorum* (cf. tit. 31) tum putanda erit in regione mediterranea praedia habuisse, in qua aram posuerunt nescio cui deo.—suspitari licet stationes illas, quibus ad Publicanos nomen erat, cum vectigalis Illyrici (Cagnat Etude hist. sur les impôts indirects chez les Romains, P. 1882, p. 23) tum quadragesimae Galliarum (ib. 52) sitas fuisse in possessionibus sociorum.

²⁰⁶) Cic. de imp. Pomp. 6, 16; de prov. cons. 5, 10.

²⁰⁷) De arca mensae publicanorum Ephesi collocata Cicero loquitur ad fam. V, 20. 9. acrarium et arcam salinarum Romanarum, de quibus mentio fit in titulo quodam urbano, qui ad saccarios salarios totius urbis campi salinarum Romanarum pertinet, sociorum arcam fuisse minus probabiliter coniectum est (de-Ruggiero, intorno ai XVI ab aer. et arka sal. Rom., Bull. dell' Istituto di diritto Romano, 1888, p. 65 sqq.).

²⁰⁸) Cf. Liebenam p. 211.

²⁰⁹) Vv. 4. 5. 6. 8. 13. 14. 15. 16. 18. 24. 34. 35. 39. 41. 44. 45. 51. 52. 53. 55. 60. miratur Pernice (Parerga, Sav.-Ztschr. f. RG., r. A., IX, 1888, p. 236) balinei tonstrini sutrini conductores lege aequari cum conductoribus vectigalium; at illa quoque in metalli Vipascensis vectigalibus habebantur itaque locabantur.

²¹⁰) V. cap. X.

²¹¹) Verr. III, 71, 167. Brinz Pandekten II p. 1017: «actor, der hier magister hiess».

Quoniam vero Gaius similitudines quae inter collegium societatemve et rem publicam sunt nequaquam omnes enumerat, ut verbi causa decurionum ordinem in compluribus collegiis sicut in municipiis constitutum²¹²⁾ praetermittat, adeone in societate vectigalium rei publicae imago expressa fuerit, ut etiam decurionibus illa propriis uteretur, explorare operae pretium est. ac quasi senatorium quendam ordinem in societatibus fuisse Cicero auctor est, qui et principes quosdam publicanorum nominat²¹³⁾, et cum senatoribus illos adaequat²¹⁴⁾, et sententiae illis dicendae ius decernendique potestatem data esse dicit. quorum quidem ab ordine remota plebe societatum decreta fieri solita esse²¹⁵⁾, cum nomen decreti index, tum verba haecce sunt testimonio: ille (magister) multitudine sociorum remota decumanos convocat, rem defert: statuunt illi atque decernunt²¹⁶⁾.

Quid vero? publicanorum principes et quasi senatores Cicero appellat decumanos. iam decumarumne illi mancipis intellegendi sint necne existit quaestio. nam alii non sine dilucidioris orationis desiderio quodam rem affirmant²¹⁷⁾, alii abnuunt²¹⁸⁾: nos et aientes refellere, et eorum, qui negant, sententiam argumentis rationibusque confirmare conabimur. atque hoc primum pro certo negamus, a societate illa, quae portorium et scripturam a censoribus conduxisset²¹⁹⁾, etsi eadem sex publica nescio quae habuisse traditur²²⁰⁾, decumas ullas exerceri potuisse nisi forte vini et olei et frugum minutarum, quippe quae Romae venire solitae esse videantur, frumentive perpaucarum civitatum, quarum ager, cum esset publicus populi Romani factus, tamen illis erat redditus locarique a censoribus solebat²²¹⁾. verum ne harum quidem decumarum conductores decumani illi putandi sunt. quid enim? dum damna aguntur a

²¹²⁾ Liebenam pp. 178, 192 sqq.

²¹³⁾ Cic. pro Plane. 9, 24: princeps iam diu publicanorum; 13, 32 princeps inter suos. cf. pro Rab. Post. 2, 3: C. Curtius, princeps ordinis equestris, fortissimus et maximus publicanus.

²¹⁴⁾ Verr. II, 71, 177: decumani, hoc est principes et quasi senatores publicanorum—censuerunt.

²¹⁵⁾ Verr. II, 72, 177: decreto sociorum; III, 71, 166: decreto decumano- rum; de domo 28, 74: omnes omnium publicorum societates -- amplis- sima atque ornatissima decreta fecerunt; in Pis. 17, 41: ea decreta publicanorum, ea collegiorum; in Vat. 3, 8: cunctarum societatum, collegiorum omnium decreta. cf. D. Cass. XXXIX, 59: γνώμας ἐποιῶντο.

²¹⁶⁾ Verr. II, 71, 173.

²¹⁷⁾ Madvig Verfassung II p. 401 adn. 1; cf. Mommsen St.-R. III p. 511 adn. 1.

²¹⁸⁾ Salkowski quaestionum p. 59 adn. 3; Xenopolus p. 46 adn. 138.

²¹⁹⁾ Verr. II, 70, 171.

²²⁰⁾ Verr. III, 71, 167.

²²¹⁾ V. cap. XII, 2.

Verre societati data in portorio et scriptura²²²), cur decumarum socii, ut rem deliberarent ac decernerent, convocati, portorii scripturaeque socii quominus propriis commodis consulere prohibiti sunt? deinde in ea societate, quae maxime ad scripturam portoriaeque exercenda inita erat, cur decumarum socii soli principes erant, quidni cuiusvis sociorum generis maximus quisque auctoritateque gravissimus? porro quoniam Cicero, cum multitudini sociorum opponit decumanos, non ignotam quandam uniusve societatis propriam rationem describit, sed de communi publicanorum instituto iudices commonet, num veri simile est e sociis decumarum, quae ipsae cum generatim omnes, tum maxime Siculorum eae, quae a censoribus locabantur, ne quaestuosiores quidem erant ceteris vectigalibus velut scriptura²²³), optimae cuiusque societatis senatum, e ceteris plebem constituisse? num denique fieri potuit, ut decumarum socii, quotcumque qualescumque erant, sine ullius repulsa legerentur senatores? quae cum ita sint, decumani illi ita dumtaxat intellegendi sunt, uti definiuntur a Cicerone, principes scilicet fuisse et quasi senatores publicanorum.

Anceps igitur illius verbi potestas est, utpote quod alias publicanorum principes significet, alias mancipis decumarum. et hac quidem vi saepius usurpatur a Cicerone in actionis Verrinae alterius maxime tertio, illa autem, ni fallor, positum est in eiusdem epistularum ad Atticum scriptarum libri quinti tertia decima²²⁴) atque haud scio an in titulis quibusdam urbanis duobus²²⁵). nusquam praeterea decumanorum mentio fit, nisi quod unum quoddam illius instituti exstare perspicimus indicium obscurum illud quidem nec ita antiquum, ex quo tamen, si modo id haud perperam interpretamur, non nullus utilitatis fructus ad comprobanda ea, quae de decumanorum dignitate docuimus, percipi posse videatur. est enim hoc apud Hesychium glossema: δεκάδαρχος οἱ μὲν ἀπὸ τοῦ δεκάδαρχεῖν, οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ δεκάζειν, ὑπερ ἔστι τὸς δικαστὰς πείθειν δώροισι. ἦν δὲ καὶ ὄνομα καὶ ὁ τελώνης. ex quo efficimus ut eodem nomine Graeci decurionem (est enim δεκάδαρχος decurio) atque decumanum notare consue-

²²²) Verr. II, 70, 169 sqq.

²²³) Cf. Lucil. XXVI, 14 (p. 568 Muell.): publicanu' vero ut Asiae fiam scripturarius || pro Lucilio, id ego nolo et uno hoc non muto omnia.

²²⁴) Nam, ut hoc loco omitam demonstrare (cf. cap. XII, 11) decumas id temporis Ciliciae impositas omnino fuisse nullas—agitur enim de publicanis Ciliciensibus,—primarios cuiusque generis publicanos Cicroni illius provinciae praetori Roma advenienti Samum Ephesumque a sociis obviam missos esse et per se ipsum probabile est et ex verbis alius cuiusdam epistulae Tullianae (ad fam. III, 8, 4) colligere licet, quae sunt: Romae composui edictum; nihil addidi nisi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me venissent, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum.

²²⁵) Tit. 12, 13.

rint. nam si quaerimus quodnam *τελωνῶν* genus *δεκάδαρχοι* appellari possit, nullum invenimus nisi decumanorum. atqui illi quidem decumani, qui decumas conducebant, *δεκάδαρχοι* dici non poterant, sed vel *δεκατῶναι* vel etiam *δεκατωνάρχαι* (si quidem *δεκατωνῶν* primarii erant, sicut *τελωνῶν* quidam principes nominabantur *τελωνάρχαι*), vel certe *δεκατάρχαι* (hoc est, qui decumis exercendis praesunt, sicut *πεντηχοστάρχαι* quinquagesimarii sunt). necesse igitur est verbo quod est *δεκάδαρχος* cum omne decurionum genus tum etiam publicanorum principes et quasi decuriones significari solitos esse statuamus ²²⁶). cur autem publicanorum principes decumani, non, ut in collegiis solebat, decuriones appellati sint, vel haec adhiberi potest, qua eius rei causa ratioque explicetur, coniectura. nam collegia quidem sic constitui componique solebant, ut in decurias describerentur ²²⁷); in societatibus autem vectigalium sociorum ordines pro magnitudine pecuniae a singulis sociis in commune collatae ita fortasse discernebantur, ut cum ceteri socii minores partes tum decumanorum quisque partem non minus decimam in societate haberet. itaque ut decuriones a decuria ita a decima parte dicti sunt decumani, sive decumas exigebant frumenti, sive pecuniae conferebant in societatem. quod si ita est, unius cuiusque societatis quaestuariae proprios fuisse decumanos suspicamur; quae societates quotienscumque publicis communiter redemptis unam societatem effecerant, hanc illarum universi decumani senatus instar decretis moderabantur.

Itaque non magistratum potestates, non contiones sociorum, non senatorum consilia a societatibus vectigalium erant aliena. ad cumulandam vero similitudinem quae iis cum municipiis erat ne alia quidem instituta defuerunt inter rem publicam societatemque communia. iam sociorum tabulae publicarum fere tabularum auctoritatem obtinebant ²²⁸). quid quod hanc quoque municipiorum collegiorumque ²²⁹) consuetudinem ascivisse reperiuntur socii, ut viros optime de se meritis decretis honorificis ornarent offerrentque

²²⁶) E latino quodam fonte hanc glossam fluxisse suspicamur. quis enim Graecus verbum quod est *δεκάδαρχος* a *δεκάζειν* verbo duxisset? accedit quod hoc viri nomen proprium non invenitur. fuisse auguramur in glossis quibusdam haec fere: «*δεκάδαρχος* decurio decumanus». quae graeco sermone ut explicaret Hesychii auctor, cum alias glossas inspexisset invenissetque decurionem dici a decuriando (quod verbum simul et *δεκάζειν* et *δεκαδαρχεῖν* declarat), decumanum autem et viri cognomen esse et publicanum, dum inventa excerpere conatur, ut fidus videlicet interpret erat, verbum verbo reddere curavit.

²²⁷) Liebenam p. 191.

²²⁸) Dig. 47, 2, 31, 1: si quis tabulas rei publicae municipii alicuius aut subripuerit aut interleverit, Labeo ait furti eum teneri. idemque scribit de ceteris rebus publicis deque societatibus. Verr. II, 187: lege excipiuntur tabulae publicanorum quominus Romam deportentur.

²²⁹) Liebenam p. 212 sqq.

iis tesseras patronatus? quam rem Cicero significat, cum et decreta amplissima atque ornatissima de se a publicanorum societatibus facta esse praedicat²³⁰), et scripturae societatem Bithynicam, quod sua in fide sit, fovet tueturque²³¹). iam vero publicorum Asiaticorum partes, quas multas a Caesare Vatinius eripuisse Cicero narrat²³²), hanc ob causam apud illum fuisse, quod Asiae publicanorum patronus esset, probabile est.

Inquirentibus nobis in formam constitutionemque societatum vectigalium non alienum esse videtur postremo paucis complecti, quem ad modum illae cohaeserint copulataeque fuerint cum Urbe. nam quoniam in foro locabantur publica totaque propemodum pecuniarum ratio versabatur, una quaeque societas socios eosque auctoritate et opibus maxime valentes Romae habebat²³³). Romam cotidie fere per publicanorum tabellarios sociorum qui in provinciis operas dabant litterae nuntiique de exactionum spe atque eventu afferebantur²³⁴), quibus nuntiis iactabatur nummus fidesque modo angustior fiebat modo renovabatur²³⁵). Romae erant publicanorum magistri; Romae consilia principum cogebantur²³⁶). quid tandem? societatum ad exercenda vectigalia publica publice constitutarum natura ipsa postulabat ut in Urbe quasi radices agerent atque efflorescerent ex Urbe. iam, ne plura, sicut populi Romani item societatum vectigalium urbs Roma sedes, provinciae praedia erant. quamobrem non temere Cicero nullam Romae societatem vectigalium dicit, ut omnino nullam fuisse, quae non honorificentissime de salute sua decrevisset, significet²³⁷). inde multae societatibus fuerunt utilitates: artior scilicet cum universo equestri ordine coniunctio auctoritatisque qua in re publica valebant accessio magnumque dominationis incrementum.

²³⁰) De domo 28, 74.

²³¹) Ad fam. XIII, 65, 2.

²³²) In Vat. 12, 29. Bouchaud Mém. sur les sociétés etc., P. 1767. p. 244 (mémoires tirés des registres de l'Ac. R. des Inscr. t. 37, P. 1774, 4°).

²³³) Cic. pro Mur. 33, 69: quid si omnes societates venerunt? Verr. II, 70, 171 sq. C. I. L. VII, 1200: socio Romae. Diod. XXXVII, 5: κοινωνούς ἐσχηκότας τοῦς ἐν τῇ Πρώμῃ τὰς δημοσίας κρίσεις διαδικάζοντας. Mommsen St.-R. II p. 407.

²³⁴) Cic. pro Flacc. 16, 37.

²³⁵) Cic. de imp. Pomp. 7, 19.

²³⁶) Verr. II, 71, 173.

²³⁷) Cic. pro Sest. 14, 32.

VI.

Quando quidem de universa societate disseruimus, iam ad partes eius et quasi membra singula transimus. ordiamur igitur a societatis auctore, qui idem emptionis auctor mancepsve vocabatur. erat hic unus e sociis et quidem is, cui soli emptori venditum vectigal erat atque addictum²³⁸). non enim aliter populus contrahebat nisi cum mancipe²³⁹) eoque iure manceps tenebatur, ut, sive suum, cum licebatur, gerebat negotium, sive aliorum mandatum exsequeretur, haud secus illi atque ipsius nomine emptorem existere liceret²⁴⁰). quae comprehensa res est apud Festum verbis his: manceps dicitur qui quid a populo emit conductivē, quia manu sublata significat se auctorem emptionis esse; qui idem praes dicitur, quia tam debet praestare populo quod promisit, quam is, qui pro eo praes factus est²⁴¹). ex qua definitione cogitur ita se mancipem populo obligare oportuisse, ut socii omni publica obligatione vacarent. quodsi ille rei publicae non satis fecerat, praedes praedia suberant, quibus vendundis populi damnum sarciretur. quae quidem capitis fortunarumque pericula etiam ad mancipem, ut par erat, redundare solebant, sed ita tamen, si is sua sponte praes factus erat²⁴²). ac, quoad praedibus praediisque cavebatur, haec semper servata est consuetudo, ut quicumque manceps exstiterat se eundem praedem esse profiteretur²⁴³). postea vero quam vetus cavendi ius obsolevit²⁴⁴) immutataque ex aliqua parte mancipis principalis notitia est, in primis hic fidem interponere bonaque subdere coepit, etsi fideiussores dabat²⁴⁵). ad quam aetatem haud omnino spernendi illius auctoris, qui sub falso Asconii nomine latet verba potissimum conveniunt, quae sunt haec:

²³⁸) Verr. III, 11, 27: eum, qui manu quaesierit, an eum, qui digito licitus sit, possidere (aequius est)? III, 42, 99: Venuleius—liceri non destitit,—addicitur Venuleio. I, 54, 141 sqq.

²³⁹) Cf. Leist z. Gesch. d. röm. Societas, p. 43.

²⁴⁰) Cf. Schmid, Archiv f. civilist. Praxis XXXVI, 1853, p. 176 sqq.

²⁴¹) Fest. p. 151 M.=p. 139 Thewr.—quod ius non obstat tamen quominus plures mances communiter licerentur per nuntium (Dig. 17, 2, 33).—inferiore aetate alterius nomine liceri licuisse ex eo colligimus, quod ne conductrices quidem vectigalium tum defuisse videntur (Dig. 49, 14, 47 pr. Hirschfeld Verw.-Gesch. I p. 80 adn. 5. cfr., quod idem me monet clarissimus atque optimus magister, de Rossi Bull. Crist. III, 2, 1877, p. 91).

²⁴²) Cf. adn. 91.

²⁴³) Tralaticium munus significat Festus verbis: qui «idem praes» dicitur. cf. legis parieti faciundo Puteolanae (C. X 1781=I 577) verba: C. Blossius Q. f. HS MD idem praes.

²⁴⁴) Mommsen Stadtrechte p 446.

²⁴⁵) Dig. 39, 4, 9 pr.; 39, 4, 16, 12; 50, 8, 3, 1; C. Theod. 5, 41, 1. un.

mancipes—exigenda a sociis suo periculo exigunt et rei publicae repraesentant²⁴⁶). ceterum eadem semper mancipis natura mansit idemque ius, ut solus cum populo contraheret omneque obligationis onus susciperet neque ullum sociis, nisi qui forte fideiussores erant, reliquum faceret²⁴⁷).

Verum tamen hoc ipsum publicanorum iuris erat proprium, ut et manceps solus conductor obligaretur, et socios populus nihilo minus conductores esse agnosceret. hi censoribus, priusquam publicum mancipi addiceretur, nomina dabant, ut, si quid contra legem censoriam fecissent, quominus denuo publica conductorerent, prohiberentur²⁴⁸). ad exercenda vectigalia legum magistratuumque auxilium sibi adiungebant²⁴⁹); immunitates impetrabant²⁵⁰); lege agebant societatis nomine²⁵¹); appellabantur publicani²⁵²). universi socii causas suas agere in controversiis querimoniisque ad senatum deferendis consuesse reperiuntur²⁵³). attribui solebant societates, ut debitam aerario pecuniam iis, quibus attributae erant, persolverent²⁵⁴). legimus denique apud Ciceronem in accusationis tertio: praesto ait se tibi futurum Vettius et observaturum quem ad modum rationes ad aerarium referas, ut, si hanc ex fenore pecuniam populo non rettuleris, reddas societati²⁵⁵). nihil hic de mancipe; quin immo erat Vettius a sociis constitutus magister, personam scilicet qui gereret societatis.

Cum igitur in locandis conducendisque vectigalibus manceps solus, in exercendis etiam mancipis socius respiceretur, factum est ut et huic

²⁴⁶) In div. in Cacc. Orell. V, 2, p. 113.

²⁴⁷) Aliter de hac re iudicat Salkowski (z. Lehre von den jurist. Personen p. 35 sq.; quaest. p. 34).—cf. C. Iust. 4, 61, 4=C. Th. 4, 12, 1: penes illum vectigalia manere oportet, qui superior in licitatione exstiterit. C. Iust. 10, 57, 1. un.

²⁴⁸) Adn. 68. 69. Liv. XXIII, 49, 1: societates tres hominum undeviginti.

²⁴⁹) Cf. legis met. Vipasc. capita ad conductores sociosque eorum pertinentia (adn. 209). Dig. 43, 9, 1.

²⁵⁰) Liv. XXIII, 49, 2.

²⁵¹) Leg. Malac. c. LXV (C. II 1963).

²⁵²) «Societates publicanorum» e. g. in Cic. op. ad fam. XIII, 10, 2; schol. Bob. pp. 256. 259 Or.; Dietrich die rechtl. Natur der soc. publ., p. 13, adn. 3.—Verr. II, 70, 172: socii fecerunt vetere instituto publicanorum.—cf. Dig. 39, 4, 12, 3; 50, 16, 16; 50, 6, 6, 10.

²⁵³) Sc. de Oropiis v. 24 (F. I. p. 172 sqq.; Viereck serm. Gr. XVIII): ὑπὲρ δημοσίωνων. sc. de Adramytenis (Bull. de Corr. Hell. 1885 p. 401 sq., Viereck X v) v. 5 sqq.—Cic. ad Att. I, 17, 9; pro Planc. 14, 34; schol. Bob. p. 259 Or.—Cic. ad Q. fr. II, 11; III, 2; de har. resp. 1, 1.

²⁵⁴) Verr. III, 70, 165.

²⁵⁵) Verr. III, 71, 167.

conductoris ius nomenque essent, et ille, ne quid de iure eius, cuius res esset, videretur detrahi, e legis formula artificiose sane ipse conductor appellaretur. ait enim praetor: si simul veniant ad interdictum movendum ipse qui conduxit et socius eius, magis est ut ipse conductor praeferatur ²⁵⁶). eandemque notionem Polybius exprimit verbo eodem: ἀγοράζουσι παρὰ τῶν τιμητῶν αὐτοὶ τὰς ἐκδόσεις. itemque Cassius Dio, cum: μήτ' αὐτὸς, inquit, μισθῶται, mancipis munus manifesto denotat ²⁵⁷). itaque, cum plus iure manceps quam socius posset, non per se ipsum hic, sed illius societate stabat ²⁵⁸); quocirca mancipis nomine actate quidem imperatoria non numquam societas notabatur ²⁵⁹). iam quae de ratione quae inter mancipem sociosque interceserat diximus omnino comprobantur titulo quodam deae Hludanae in Frisiorum finibus posito a conductoribus piscatus, quo titulo horum societas Q. Valerium Secundum mancipem ita sibi ducem esse significavit ²⁶⁰), ut tamen universi socii conductorum appellationem sibi vindicarent ²⁶¹).

Tanti semper in re publica tantique verbo quidem apud socios ponderis, non item re mancipis officium fuit. nam cum omnes socii conductores essent neque esset qui ipse conductor vocitabatur nisi ut quae ad licitationem pertinebant legitima conficeret, maxime pro pecunia in societatem collata manceps modo reapse principatum apud socios obtinuisse, modo specie tantum societatum auctores fuisse facile intellegimus. atque eo quidem tempore, quo societates vectigalium florebant, potentiores erant socii quam ut unum ducem moderatoremque sequerentur. itaque tum

²⁵⁶) Dig. 43, 9, 1.

²⁵⁷) LXIX, 16.

²⁵⁸) Pol. I. I.: κοινωνοῦσι τοῦτοις. I. met. Vip. II. II.: conductor socius actorve eius. Verr. I, 55, 143: socium ne admittito. cfr. ὄστρακα Aegyptia, velut: Οὐαλερίων και οἱ λοιποὶ μισθ(ωται) ἱερ(ᾶς) πόλης Συήνης (Fröhner Revue Arch. 1865, XI, p. 422 sqq., n. 8 = C. I. Gr. III 4868; Birch Proceedings of the Soc. of bibl. Arch. V, 1883, pp. 132. 160), vel: Μίμωνος και μ(έτοχοι) τελ(ῶναι) (Wilcken, Jahrb. d. Vereins von Alterthumsfr. in Rheinl. LXXXI, n. 14).—pap. Par. 17 (Not. et Extr. des mss. de la Bibl. Nat. XVIII: 2=F. I. p. 324): πατρὸς κοινωνοῦ μου γεναμένου (sic).

²⁵⁹) Cf. adn. 71.

²⁶⁰) Tit. 54. cf. Mommseni adn. ad h. t. (Bull. dell' Ist. di Diritto Rom. 1889, p. 132; Korrespondenzbl. d. Westd. Ztschr. f. Litt. u. Kunst VIII, 1889, m. Jan., col. 2 sqq.). similiter in tit. 109, qui haud scio an ad conductores vectigalium municipii cuiusdam pertineat, primo loco manceps nominatur, deinde socii mancipis enumerantur. cf. denique tit. C. III 4009: M. Inventius Primigenius et socii.

²⁶¹) Iulii tres, Ianuarius, Capito, Epaphroditus, qui quin socii fuerint minime dubium est, quia servos communes habebant (tit. 66. 78. 80. 86), nominatim omnes appellantur portorii Illyrici conductores (adde tt. 79. 81); quamquam veremur ne ita demum societatem coierint, cum publicum manceps redemerant in commune. idem pertinet ad Rufum et Saturninum eiusdem portorii conductores (tit. 83; cf. adn. 267).—t. 50 socii enumerantur nulla facta mancipis mentione.

quidquid agebatur a publicanis per societates agebatur; mancipis vero, quorum perraro mentio fit²⁶²), locum in societatibus videntur tenuisse mediocriorem, nisi qui tantas partes habebant publicorum, ut primarii socii numerarentur. accedit quod publica ab iis, qui ipsi liceri nollent, per appositos mancipis redimi solebant²⁶³), quorum iuris quidem condicio erat eadem, qua optimus quisque emptionis auctor erat²⁶⁴), auctoritas autem apud socios nulla esse poterat. quamquam aetate liberae rei publicae nulli a censoribus quidem ad hastam admissi sunt libertini, ut lege exclusis ab hasta senatoribus vectigalia publica redimere proprium esset equitum Romanorum²⁶⁵). haec ita erant, quoad societates vigeant; imperatorum autem aevo deminutis illarum opibus mancipis dignitas in dies crescere coepit. itaque per hoc tempus magnae societates paene nullae²⁶⁶), mancipis plurimi ditissimique eminent²⁶⁷). quid? nomini ipsi mancipis,

²⁶²) Ut omittam mancipis decumarum Sicilienses, de quibus supra (cap. IV) dictum est, itemque aliarum provinciarum mancipis (Cic. de domo 10, 25; pro Flacc. 26, 64), qui, velut Falcidius quidam (Cic. p. Flacc. 37, 91), civitatum fructus ita redimebant, ut certe alieni essent a locationibus censoriis, unus huius aetatis manceps nominatur Plancius, maximarum societatum auctor a Cicerone appellatus (pro Pl. 13,32), qui idem erat societatum plurimarum magister.

²⁶³) Verr. III, 42, 99: Thermitani miserunt, qui decumas emerent agri sui—appositus erat Venuleius quidam, qui emeret. III, 39, 88: erant Heraclio ab senatu (Amestratorum) mandatum ut emeret. I, 54, 141: si res abiret ab eo mancipe quem ipse apposuisset. cf. Plut. Ti. Gr. 8: τῶν—πλουσίων υποβλήτοις προσώποις μεταφερόντων τὰς μισθώσεις εἰς ἑαυτούς.

²⁶⁴) Ne hi quidem sociorum nuntii erant (cf. adn. 241). sed quem Ulpianus (Dig. l. l.) nominat nuntium, mancipum aliquot nuntius, nequaquam ipse manceps intellegendus est.

²⁶⁵) Mommsen St.-R. III p. 509 sq.

²⁶⁶) Exempli gratia afferri potest societas quadragesimae Galliarum, in pluribus appellata titulis (tt. 39—46).

²⁶⁷) Plin. n. h. XXXIII, 13, 57 (164): pretia rerum omnibus fere annis mutari, prout navigatione constiterint aut quisque mercatus sit aut aliquis praevalens manceps annonam flagellet, non obliti Demetrium a tota Seplasia Neronis principatu accusatum apud consules. VI, 22, 84: Anni Plocami, qui maris Rubri vectigala fisco redemerat, libertus.—in titulis hi fere singuli appellantur mancipis: Q. Saenius Pompeianus (tit. 105), T. Iulius Perseus (102) conductores quattuor publicorum Africae; M. Tarquinius Memor (40) conductor quadragesimae Galliarum; C. Antonius Rufus (59. 67. 77. cf. 83), T. Iulius Saturninus (60? 61. 62. 65. 84. cf. 83), Q. Sabinius Veranus (70. 73. 74. 85. cf. 64), C. Calcinus Tertianus (71) conductores publici portorii Myrici et ripae Thraciae; Iulius Proclus conductor VIII (87); P. Aelius Strenuus conductor pascui salinarum et commerciorum (88); P. Aelius Ismarus conductor pascui et salinarum (89); Ti. Iunius Fadianus (52), Ti. Claudius Macro (90), Q. Septucius Clemens (91), M. Trebius Alfius (92), Q. Calpurnius Phoebianus (93) conductores ferrarum; A. Vettius Latinus (? 4), C. Atisius Primus (47), L. Allius L. l. Scim(nus?) (19) vicesimarii; Q. Valerius Secundus manceps piscatus (54); Μόκκρος manceps Romae (8); L. Nerusius Mithres (24), C. Imbrius Saturus (109) mancipis vectigalium incertorum; T. Lucretius

quod antea longe abesse putari solitum erat ab honestate²⁶⁸), honestissima principatus vis subiecta est²⁶⁹). sed non eadem erant singulorum publicanorum opes, quae fuerant sociorum: ita nec negotia illi eadem suscipere potuerunt. quare cum a consuetudine magnas societates ineundi paulatim recederent, singula vectigalia plerumque in commune redimere redemptaque paucis adiuvantibus sociis separatim administrare consuesse videntur. ita fit ut, cum plurimi publicani e sociis exstitissent mancipēs, horum appellatio in universos non nullorum publicorum conductores translata sit²⁷⁰).

Vidimus de publicorum emptione; iam redemptis publicis quo munere mancipēs functi sint consideremus. ac reperiuntur vectigalibus exercendis operam dare, ut sociorum plerique solebant: in provinciis sunt, pactiones faciunt, agunt lege, vectigalia exigunt. sed dum haec gerunt, socii administratur pars, non mancipis officium expletur. at populo qua obligatus erat pecuniam referre apprimē mancipis erat²⁷¹). quod quidem officium qua servaverit religione fideque ignobilis quidam vectigalium conductor versu iu sepulcrum inciso²⁷²) post mortem gloriatur:

secure solvi semper fiscalia manceps.

VII.

Duae erant in publicanorum societate potestates eaeque tam inter se contrariae, quam contraria erat conducendi publici ratio exercendi administrandique rationi. nam, quoniam, ut ab uno conducebatur, sic a societate vectigal exercebatur atque administrabatur, mancipis auctoritas ex conductionis momento aestimanda est, magistri dignitas societatis pondere

(56), M. Iuventus Primigenius (c. III 4009) societatum incertatum auctores; P. Caesius P. f. Rom. publicanus Romae (11); Alfius Plocamus (25), C. Crispinus Cladaeus (55), Cn. Octavius A. f. Mai. Nicanor (? 28) publicani; L. Aiacius P. l. Dama Iudaeus (16) portitor; Plotinus (26), T. Iulius Delus (39) conductores fortasse alter portus Lilybaetani, alter XXXX Galliarum. omittuntur mancipēs Aegyptii, velut Ἐπαφροδίτειος δοῦλος Σειγηριανός μισθωτής τῶν μετάλλων (111).

²⁶⁸) Cf. Cic. ad Att. VI, 1, 15: vestri enim, credo, graves habent (iudices), Turpionem sutorium et Vettium mancipem. Plancium Cicero (pro Pl. l. l.) honestiore nomine auctoris appellat, ne dicat mancipem.

²⁶⁹) Cf. Tertull. apol. 11. inferioris aetatis testis idem, quem antea laudavimus, mancipēs publicanorum principes dicit (Ps. Asc. Or. V p. 113).

²⁷⁰) Cf. mancipēs XXXX Galliarum (t. 38), mancipēs vectigalis foricularii et ansarii promercalium (t. 7), mancipēs sulfuris (t. 27), mancipēs salinarum (C. Iust. 4, 6, 11) cet.

²⁷¹) Fest. l. 1.; Ps.-Asc. l. 1.; Front. ad M. Caes. V, 34, Nab.

²⁷²) Tit. 24.

examinanda. etenim ille quidem eo iure erat, ut non modo sociorum minime indigeret, sed etiam inita societate solus publice obligaretur; inter hunc vero et societatem eadem fere intercedebat ratio, quae inter magistratum et populum²⁷³), societatisque personam sustinebat magister. itaque nullam rem ille nisi suo, hic nisi sociorum nomine gerebat; licitationis officium solum exsequabatur ille, hic omnia praeter licendi negotium administrabat; socios ille conductionis in partem vocabat, hic a sociis ad amplissimum societatis honorem evocabatur; ille emptionis, hic creationis ergo apud socios principatum obtinebat.

Quae duae potestates, quamquam omnino inter se videntur pugnare, tamen ob eam ipsam causam, quia sua natura diversae erant, mirum in modum reconciliantur. quod non ideo solum factum esse existimamus, quod munerum dissimilitudo simultates praecidisset quodque ita nec magister nisi de societate nec manceps nisi e deminutione societatis crescere posset, ut numquam non impar utriusque esset auctoritas; verum etiam hac ratione ad illam sententiam perducimur, quod quaestuariae publicanorum societati mancipem, magistrum corpori praefuisse intellegimus. nam neque administrari corpus sine magistro, neque societas aut magistratum creare, nisi quae rei publicae instar erat, aut suae personae gerendae potestatem dare socio, nisi quae ipsa personae vice fungebatur, poterat. accedit quod in Bithynica societate, quae ex ceteris societatibus constabat, itemque in Siciensi magistri officium ad universam societatem regendam pertinebat²⁷⁴). iam quod plures in eadem societate non numquam simul fuisse reperiuntur magistri, ad eandem rem, quam probare volumus, confirmandam valet. quod si qui idcirco fieri solitum esse credunt, quia socii negotia singula singulis magistris procuranda darent²⁷⁵), non quidem eos ut omnino fallat opinio, attamen ut ad ipsum illius instituti caput fontemque pervenerint veremur. nam etsi usu venisse in optima quaque societate ut alii aliis vectigalibus proprie assignarentur magistri non infitiamur,

²⁷³) Mommsen St.-R. I p. 8. Fest. pp. 126. 152 M.—91.143 Th.

²⁷⁴) Adn. 151. — at enim Plancium Asiae publicanum societates eius provinciae aliquot casque haud scio an corporis communione consociatas separatim singulas rexisse suspicabitur quispiam. mittimus dubitare de provincia, mittimus etiam de tempore, eodemne ille necne «plurimarum societatum magister» fuerit; nam Cicero quidem harum magisterium simul eum gessisse nullo verbo significat (pro Pl. 13, 32). nihil certe obstare arbitramur quominus statuamus Plancium a singulis societatibus, quarum idem partim auctor esset, partim socius primarius, ita factum esse magistrum, ut, qui a reliquis eiusdem universitatis societatibus creati magistri essent, iis in communi totius corporis magistratu gerendo collega esset.

²⁷⁵) Cf. Salkowski quaest. p. 16; z. Lehre von d. jur. Pers. p. 37 adn. 51: «mehrere magistri wohl weil die Gesellschaft verschiedene vectigalia gepachtet hatte».

nihilominus et omnes illos universae rerum administrationis participes fuisse exemplum declarat maxime societatis Siciliensis, et, cuius in hac praecipuum agebatur officium, Vettius ita dicitur scripturae magister fuisse et sex publicorum, ut, quoniam haec publica quatenus fuerint ignoramus²⁷⁶), aut universa vectigalia ab ea societate conducta administrasse, aut, cum ipse tot publicis exercendis praecesset, portorium solum collegis duobus reliquisse videatur, quare non aequaliter tribus illis magistris distributa esse societatis negotia perspicuntur. itaque eam ob causam plures in illa societate magistris existisse suspicamur, quia societates plures eadem continerentur teste Tullio²⁷⁷). quae igitur ita inter se coniunctae societates erant, ut unam efficerent, harum quaeque eum socium, quem magistrum esse vellet, ad commune universitatis officium sustinendum videtur legare consuesse; qua re effectum est, ut singulae huiusmodi universitates modo pluribus, sicut pleraque collegia, magistrum honorem mandarent, modo singulos ei muneri praeficerent, sive indivisae erant, sive id universi socii consenserant. quodsi plures simul magistri erant, haud scio an saepe unus, seu pro societatis a qua delectus erat magnitudine, seu quod ab omnibus sociis ad universam corporis rem rationemque curandam erat constitutus, ita ceteris auctoritate antecesserit, ut superior collegis quodammodo maiorque haberetur; qualis in Siciliae magistris, ni fallor, Vettius fuit: hic enim et in epistula trium magistrorum a Cicerone prolata, dum ipsius collegarumque nomine verba facit, primo loco nominatur, et magistratus publicos adisse invenitur solus²⁷⁸). verum antequam porro tractamus iura officiaque magistrorum, percensere quoscumque novimus iuvat; nec vero sunt multi.

Ac septem²⁷⁹) magistrorum nomina didicimus e Cicerone: L. Vibii, equitis Romani, viri primarii, qui, dum Siciliam Verres ob-

²⁷⁶) Sicut Illyrici vectigal quod vocabatur portorium erat idque dubito an in publica aliquot divisum, quorum, ni fallor, modo tria nominantur (tit. 73. 83. 85. Patsch Mitth. d. röm. Inst. VIII, 1893, p. 198 adn. 1) modo octo et quidem ea, ut in his pro specie mercium cum ceterae pretii partes tum etiam vigesimae exigi solitae esse videantur (tit. 87), ita venimur ne sex publica Siciliae (Verr. III, 71, 167) portorii totidem genera intellegenda sint neve de his unum vigesima fuerit (Verr II, 75, 185: ex vigesima portorii Syracusis). iam quadripertitum illud vectigal cui «III publica Africae» nomen erat, portorii generibus quattuor constituisse veri simile est, praesertim cum indivisum locaretur (cf. Front. ad M. Caes. V, 34 Nab.: Africae publicum) itemque ab Augustorum procuratoribus administraretur; quorum procuratorum quidam Priscus nomine, Augusti libertus, invenitur fuisse procurator III publicorum Africae et XXXX Galliarum) (C. X 6668), ut, qui Galliae portorium administraret, eundem etiam in Africa portorii rationem curasse suspicari liceat.

²⁷⁷) Adn. 127.

²⁷⁸) Verr. III, 71, 167.

²⁷⁹) De P. Cuspio, qui in Africa maximis societatis negotiis praefuit, v. adn. 364.

tinet (681—683), in scripturae et portorii societate Siciliensi magister fuit anno ignoto²⁸⁰); P. Vettii Chilonis, hominis equestris ordinis honestissimi atque ornatissimi, Verris familiaris affinisque, P. Servilii C. Antistii scribarum, primorum hominum atque honestissimorum, qui tres Verris praeturae Siciliensis anno, ut opinor, tertio in societatis quam supra diximus magisterio collegae fuerunt²⁸¹); L. Tullii, familiaris Verris, qui iis, quos modo nominavimus, cum collegis quibusdam duobus unove²⁸²) a. 684 successit²⁸³); Plancii patris, equitis Romani, principis publicanorum, ante a. 693 societatum aliquot magisterio functi²⁸⁴); P. Rupilii P. F. Men., quem Cicero Furio Crassipedi, cum hic esset pro quaestore provinciae Bithyniae, Bithynicae societatis magistrum commendavit²⁸⁵). omissis porro nominibus Cicero Ciliciae praetor a. 703 laudat scripturae et portus magistros ipsius dioecesium²⁸⁶). adde testimonium tituli cuiusdam Baetici, quem saeculo p. Ch. altero posuerunt socii quinquage(sumae) anni Tenati Silvini; in quo titulo viri docti cum annui publicanorum magistratus eiusque ἐπωλύρω mentionem fieri vidissent, magistrum eum fuisse sane credibiliter coniecerunt²⁸⁷) nec tamen certo, cum, quoniam socii quotannis mutari soliti esse videntur²⁸⁸), annuae conductionis mancipem titulo appellari non absit suspicio²⁸⁹).

Equites igitur Romani sunt, quos quidem Cicero nominat, omnes omnesque fere viri primarii, honestioris praeterea scribarum ordinis homines non nulli²⁹⁰). itaque comprobatur exemplis, quod per se ipsum satis superque videtur probabile, nulli nisi equiti Romano principique publicanorum magisterii honorem capessere licuisse. quamquam socii eum, cui societatis gubernacula deferebant, cum onerarent officio magis quam orna-

²⁸⁰) Verr II, 74, 182.

²⁸¹) Verr. III, 71, 166 sqq.

²⁸²) Verr. II, 72, 176: si istas litteras non decreto decumanorum magistris removissent.

²⁸³) Verr. III, 71, 166 sqq.—idem L. Tullius fuisse videtur societatis ille magister, quem Cicero Verris amicum dicit Verr. 71, 173.

²⁸⁴) Cic. pro Pl. 13. 32.

²⁸⁵) Cic. ad fam. XIII, 9, 2.

²⁸⁶) Cic. ad Att. V, 15, 3.

²⁸⁷) C. II 5064 (tit. 31) cum adn. Mommseni. Marquardt St.-Verw. II p. 300.

²⁸⁸) Cf. tit. 84: a n n (o) VI.

²⁸⁹) In titulo Tergestino nostri instrumenti 14 aut nullius commemoratur magisterium aut certe servi ideoque hic societatis vectigalium magister haberi nullo modo potest. de fani «mag(istro)» quodam (fortasse «Fi[rmi]one») agi suspicatur M. Kraševinnikov in commentatione quam scripsit de ordine Augustalium (Petropol. 1895, p. 221).

²⁹⁰) Huius ordinis publicani, cum apud aerarium, censors, ceteros magistratus magni momenti essent, societatibus sane plurimum profuerunt.

rent, aptiorem, reor, ad communem rem augendam quam dignitate amplio-rem esse semper maluerunt. quare facile aliquis ad illum honorem ascen- dere potuit aliquotiens, ut, sicut in collegiis sodaliciisque solebat, magis- ter iterum, tertium, cetera appellaretur. annum autem fuisse magistri officium, ut titulum illum Baeticum, quippe qui argumento egeat potius quam vigeat, omittam, de Siciliae quidem societate satis constat testimo- nio Tulliano²⁹¹). deposito honore societatis recte a se administratae ra- tionem sociis magistri reddebant; nec sine laudatione, ut opinor, qui de societate bene meriti erant magistratu abibant, qui vero sociis aliquo nomine obnoxii erant iudicio arcescebantur: id quod non dubie conficitur e magistrorum illa consuetudine, ut, cum tabulas novo magistro traderent, exempla litterarum ipsi habere non nollent²⁹²). dum autem agebatur officium, ut quae communi nomine gererentur ge- rendave viderentur ad societatem referrent, aut omnes socios, aut prin- cipes solos convocabant eorumque decretis stabant²⁹³); nec facere omnino poterant ut non horum maxime voluntatem in societate administranda intuerentur²⁹⁴).

Quae ut ita sint, nihilo minus magistrorum potestatem videmus fuisse tantam, ut quaecumque illi pacti erant in se reciperet societas; de qua re Ulpianus: item magistri societatum pactum et prodesse et obesse constat²⁹⁵). ita nec iudicio magistrorum socii ante videntur persequi potuisse, quam illi se magistratu abdicarent. agebat magistro- rum dignitatem, quod cum magistratibus publicis societatum publice con- stitutarum nomine non privatorum in modum agebant²⁹⁶). actorum officio functos esse videri magistrorum iam ante commemoravimus²⁹⁷). intra domes- ticos, ut ita dicam, societatum parietes potestas magistris erat cum se- natus cogendi agendique tum sociorum advocandi contiones ac summo-

²⁹¹) Verr. II, 74, 182: quem reperiebat magistrum eo ipso anno, qui mihi maxime quaerendus erat. cf. Cic. ad fam. XIII, 9: cuius principium officium agitur hoc tempore.

²⁹²) Verr. I. 1.—de publicanorum magistri iure iurando nihil memoriae proditum est.

²⁹³) Verr. II, 71, 173.

²⁹⁴) Cf. Salkowski z. Lehre v. d. j. Pers. p. 37: «magister mit ziemlich unumschränkter Gewalt».

²⁹⁵) Dig. 2, 14, 14. cf. Bouchaud l. l. p. 247; Troplong Contrat de société p. XXVIII: «chefs de l'association, représentants du corps moral juridique, ils avaient le droit si grave de lier par les contrats et les actes qu'ils passaient avec les tiers». — perperam de Ulpiani verbis iudicare videtur Cohn (z. röm Vereinsrecht p. 168); nam «magistri» nomen, cum nudum positum sit, magistrum navis significare non potest.

²⁹⁶) Adn. 255.

²⁹⁷) Adn. 211.

vedi²⁹⁸). auctoritatem cumulabat tabularum cura²⁹⁹), quae tabulae, ut supra diximus, non longe aberat quin publicorum instrumentorum loco haberentur³⁰⁰).

Magistrorum erat habitare Romae³⁰¹); in Urbe enim societates, quarum personas illi sustinebant, erant collocatae. accedebat quod opus erat et societates administrare ex sententia consilii sociorum urbanorum, et urbanos magistratus senatumque adire saepius. itaque Roma quae fieri vellent iis, qui in provinciis sociis operas dabant, litteris imperabant³⁰²). scribebant igitur illis assidue eorumque rursus litteras, libellos, commentarios accipiebant³⁰³). asservabant quae Romae deposita erant societatum instrumenta, in his litterarum missarum exemplaria³⁰⁴), in primis tabulas accepti et expensi³⁰⁵): rationem enim sociorum nummariam universam curabant. denique ut cuncta complectamur paucis unoque sub aspectu ponamus, societatis equitum Romanorum natura ratioque in magistro omni ex parte expressa atque efficta cernitur. qua quidem societate labefacta fieri non potuit quin magistri quoque auctoritas concideret. obscurior tamen ea res videtur propter inopiam testimoniorum, nisi quis ex hac ipsa inopia haud leve eius rei argumentum peti posse iudicet. praeter enim titulum Baeticum, de quo supra diximus, Ulpianus solus testis esse videtur etiam imperatorum aetate in societatibus permansisse magistrōs³⁰⁶). quod tamen testimonium tantum abest ut in omnes eius aetatis societates valeat, ut pleraeque, id quod antea demonstratum est, nulla nisi mancipis potestate gubernari solitae esse videantur.

²⁹⁸) Adn. 216.

²⁹⁹) Verr. II, 71, 173: ut diligenter caveret (magister) atque prospiceret ne quid esset in tabulis sociorum cet.

³⁰⁰) Adn. 228.

³⁰¹) Verr. II, 71, 173; III, 71, 167.

³⁰²) Cic. ad Att. V, 15, 3.

³⁰³) Verr. I. I.

³⁰⁴) Verr. I. I.

³⁰⁵) Verr. II, 74, 182.

³⁰⁶) Ulp. I. I.—Festi verba (p. 126 M.=p. 91 Thewr.) quae sunt: magistri non solum doctores artium, sed etiam pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum dicuntur, quia omnes hi magis ceteris possunt, non necesse est pertinere existimantur ad aetatem imperatoriam.

VIII.

Quibus ad conducenda publica manceps, ad administranda magister ita auctores actores duces erant, ut eorum cum mandata recepissent pecuniamque accepissent etiam scitis decretisque tenerentur, quodnam iis conducto publico una cum ipso conductore fruendi ius, quae iubendi potestas, quae conciliorum ratio, qui amplissimus ordo fuisset, quoniam partim celeriter perstrinximus, partim uberius disputavimus, sequitur ut et qui fuerint aliquando definiendo explicemus, et quae inter eos ceterosque, qui re cum iis communicata se ad eorum societatem quodammodo applicarant, ratio intercesserit videamus. quam tamen rem ita tractare instituimus, ut ab obligationum quibus sociorum ius continetur interpretatione abstineamus neque in iuris scientiae palaestra nostrapte sponte periclitemur, nisi cuius iuris cognitionem ad ipsam constitutionem societatis penitus cognoscendam locus postularit; proficiscendum autem esse videtur ab appellatione.

Socii illi apud Romanos, graece *κοινωνοί*³⁰⁷⁾ vocantur, quod tamen verbum poni solet varie. nam aut mancipis nomine omisso totam societatem sociorum appellatione complectimur³⁰⁸⁾, aut eodem verbo iuxta illius nomen collocato ita usurpamus mancipis socios, ut ipsi contrario nomine opponamus³⁰⁹⁾. cuius verbi vis ipsa declarat societatis ad quaestum comparandum in itae lucrum damnumque sic inter socios dividi oportuisse, ut quam quisque in commune impendendae pecuniae partem contulisset eandem communiter partae auferret; nisi qui forte excepti erant ne darent pecuniam, quia aut operas dabant sociis aut populo se pro iis obligarant. porro socii, sicut collegii sodalicii³¹⁰⁾, item eius publicanorum societatis, quae e ceteris societatibus constabat, dicebantur³¹¹⁾, non quo quaestum communem inter se universi partirentur,—in quo enim quisque publico quave societate quaestuaria partem habebat, eius publici societatisve nomine pro rata parte aut damnum contrahebat aut lucrabatur,—sed quia corporis communione erant consociati. cum autem de quaestuaria societate agitur, iidem, ut par est, homines modo socii esse vel publicani modo publicorum partes habere dicuntur: Cicero quidem Verrem alloquens, simul

³⁰⁷⁾ Adn. 192. 193. 194, in apochis Aegyptiis iidem non numquam appellantur *μέτοχοι*.

³⁰⁸⁾ V. e. g. tit. 1. 6. 14. 15. 22. 100 cct.

³⁰⁹⁾ Adn. 258.

³¹⁰⁾ Liebenam Vercinswesen p. 184.

³¹¹⁾ Cic. ad fam. XIII, 9, 1: socios Bithyniae. Gai. Dig. 3, 4, 1.

ac publicanos ait dictitasse eius esse partis, iam: ni Apronius, inquit, dictitaret te sibi in decumis esse socium³¹²). quamquam fuerunt, de quibus et ante commemoravimus et hoc capite fusius dicemus, qui partes quidem in publicis haberent, socii vero non essent; quamobrem vel Rabirius Postumus, quem Cicero magnas publicorum partes habuisse dicit, utrum socius vectigalium an affinis fuerit dubitari potest, nisi quod, quoniam fortissimi et maximi publicani filius erat, ipse publicanus fuisse videtur, praesertim cum in paternae vitae similitudinem deductus esse tradatur³¹³). iam quantulacumque erat pars, is, cuius erat, adscisci poterat inter socios, velut T. Aufidius quidam, qui, quamquam Asiatici publici exiguam admodum particulam habebat, tamen publicanum in Asia egit³¹⁴). ratio autem partium, quas socii habebant, in societate vectigalium omnino eadem erat quae in privata, ut quaecumque illi expendenda erat sociis pecunia distribueretur eamque quisque sumptus partem suppeditaret, quam ab initio se, quotienscumque res tulisset, collaturum erat pollicitus.

Venimus ad sociorum heredes: qui quo iure fuerint, et certatur ex parte, neque a nobis sine detrimento mitti potest disceptatio. ad hos enim prae ceteris quasi affinitate quadam coniunctis cum societate adiunctisque ei tamquam comitibus sociorum res ratioque pertinebat³¹⁵). namque id quidem una mente omnes consentiunt: sociorum heredes socios non esse, tamen et quaestus communis esse participes, et damnum una cum sociis facere pro portione; quodsi adsciti sint socios fieri³¹⁶). at de partis adscriptione discrepant, de qua, dum Sabinum enarrat, haec dixit Pomponius³¹⁷): adeo morte socii solvitur societas, ut nec ab initio pacisci possimus ut heres etiam succedat societati. haec ita in privatis societatibus ait: in societate vectigalium nihilo minus manet societas et post mortem alicuius, sed ita demum, si pars defuncti ad per-

³¹²) Verr. III, 57, 131. 132.

³¹³) Cic. pro Rab. Post. 2, 3. 4.

³¹⁴) Val. Max. VI, 9, 7. 8.

³¹⁵) Malac. c. LXV (cf. adn. 83).

³¹⁶) Ulp. Dig. 17, 2, 63, 8: in heredem quoque socii pro socio actio competit, quamvis heres socius non sit: licet enim socius non sit, attamen emolumentum successor est. et circa societates vectigalium ceterorumque idem observamus, ut heres socius non sit, nisi fuerit adscitus, verum tamen omne emolumentum societatis ad eum pertineat, simili modo et damnum agnoscat quod contingit sive adhuc vivo socio vectigalis sive postea: quod non similiter in voluntaria societate observatur.

³¹⁷) Pomp. ad. Sab. Dig. 17, 2, 59 pr.

sonam heredis eius adscripta sit, ut heredi quoque conferri oporteat, quod ipsum ex causa aestimandum est: quid enim si is mortuus est, propter cuius operam societas maxime coita sit, aut sine quo societas administrari non possit? quam adscriptionem alii volunt vim habere cooptationis: sic enim aiunt recipi heredem in societatem sive adscisci, ut partis adscriptio a sociis consciscatur. negant igitur illum, etiamsi lucri damnique particeps sit, societati succedere nisi adscitum³¹⁸). alii, haec duo contra secernere placuit, qui ita censent, heredem socium quidem fieri per cooptationem (scilicet quam adsciscendi verbum demonstrat), lucri vero damnique participem per partis adscriptionem³¹⁹); quorum sententiam non satis ab ipsis defensam neque ab explicatiore heredum vectigalium iuris cognitione profectam, quantum in nobis est, defensuri sumus ita, ut simul adscripta parte heredem in veterem illam, quae inter demortuum socium ceterosque intercesserit, societatem succedere, adscitum vero novam contrahere doceamus. quid enim? publicorum partes, quoniam non modo sociorum erant, sed etiam affinium, nonne videntur etiam ad eorum personas adscribi potuisse, qui socii non essent? verum paulo accuratiorem investigationem res requirit. quam si quis instituit, hoc teneat necesse est, non universorum sociorum coniunctionem societatem initio dicere Pomponium vel potius Sabinum, sed rationem quam ceteri socii cum eo, de cuius herede agit, habeant³²⁰). haec societas, sive eam iuris rationem inter unum quemque socium et ceteros intercedentem dicere mavis, in privata societate socii morte solvitur, in societate vectigalium quadammodo continuatur, a quo capite hoc omne ius ducitur. quod ita constitutum est eo consilio, ne unius socii obitu universa societas dirimeretur: lex enim erat societatum omnium, ut soluta societate quae inter quemlibet socium et reliquos esset dissolverentur³²¹). sed quo facilius societas vectigalium etiam distrahi possit, si res flagita-verit (quid enim si is mortuus est cet.), cavetur ut, nisi socii demortui pars ad personam heredis eius adscripta sit, societas quae inter eum socium et ceteros sit finiatur, quo facto tota societas dirimatur necesse est. atque omnino adscribi pars debet; quod si heredi petenti super-

³¹⁸) Pernice Parerga II, Sav.-Ztschr. f. RG., r. A., V, 1884, p. 105 sqq. Cohn z. r. Vereinsrecht p. 171 adn. 60. Dietrich d. rechtl. Nat. p. 16 sq.

³¹⁹) Brinz Pand. II p. 1009. Lefebvre, de la société en général et spéc. de la soc. vectig. (thèse de droit, Rennes 1889) p. 49.

³²⁰) Id quod suo iure contra Brinzium (collata fragmenti 65 h. t. paragrapho 9) obtinet Cohn (Vereinsrecht p. 171 adn. 60).

³²¹) Cf. Dig. 17, 2, 65, 9; Inst. 3, 25, 5.

stites recusant socii, in ius itur, neque hi sese ab ea re excusare possunt, nisi forte iudici persuaserint, quam quaestus partem cum demortuo socio communicassent, eandem se cum herede eius communicare sine societatis detrimento non posse³²²): quae res, cum diiudicatur, ex causa aestimanda est. quodsi pars neutiquam adscribi posse videtur, distrahitur societas³²³), sin autem adscripta pars est, a quo quisque heres est factus, eius societatem ita continuat, ut lucri damnique particeps sit, socius optimo iure non sit³²⁴). quae tamen inter heredem sociosque iuris communio non iniuria dicitur societas: est enim societas hereditaria societatemque eam et Ulpianus appellat et Cicero. quorum ille quidem rationem quae demortui socii heredi cum sociis superstitibus intercedit, dum societati voluntariae opponit, hereditariam esse significat, tametsi heredem socium esse quippe nondum adscitum negat³²⁵); Cicero autem non opponit solum voluntariae societati hereditariam³²⁶), sed etiam adversus diligentissima iurisconsultorum monita praeceptaque heredem socium

³²²) Quod quidem tum usu venire solebat, cum is demortuus erat, propter cuius operam societas maxime coita erat aut sine quo administrari non poterat. sin operas eas, quas demortuus socius societati dedisset, heres dare non poterat, alius socius poterat, satis erat vel mercedis partem e parte heredis pro tempore, quo socii opera non amplius in societatem conferebatur, deduxisse.

³²³) Quamquam omnino de societate, ne forte unius socii obitu dirimatur invitis ceteris, caveri invenimus, ut ab initio sociis pacisci liceat, ne non continetur inter superstites (Dig. 17, 2, 65, 9; Inst. 3, 25, 5). quod quidem etiam in vectigalium societatem valere non est cur negemus. quam rem si inter se ab initio pacti sunt socii vectigalium, denegata partis adscriptione cum herede decidunt de pecunia, qua accepta de societate decedat.

³²⁴) Cf. Dig. 50, 2, 4: *decurio, qui prohibetur conducere quaedam, si iure successerit in conductione, remanet in ea, quod et in omnibus servandum est.*

³²⁵) V. adn. 316.— mirum non est Graecos voluntariam societatem interpretando dixisse *ὁὲ ἀναγκαίαν* (Bas. 12, 1, 61 Heimb. I p. 769), nam hereditaria societas necessaria est (cf. Cuiacii verba in proxima adnotatione allata). similiter usus fructus ex testamento constitutus opponitur ei, qui contractu constitutus est voluntario (C. Inst. 3, 33, 4). at viri docti quam voluntariam Ulpianus dicit privatam societatem acceperunt, velut Pernice (Labeo I p. 298: «hierauf möchte man die Gegenüberstellung von societas vectigalis und voluntaria beziehen, welche letztere doch jedesfalls mit der privata societas fr. 59 eine und dieselbe ist»). quid igitur est? nempe secum ipse pugnat Ulpianus: modo enim ait: et circa societates vectigalium idem observamus, scilicet quod in societate privata; nunc vero hoc ipsum videlicet negat.

³²⁶) Cic. pro Quinct. 24, 76: cum eo tu voluntariam societatem coibas, quite in hereditaria societate fraudarat? 6, 25, 26; 15, 48. Cuiacii observ. l. X c. 25: «ut autem ex iure—Tullius voluntarium procuratorem dixit, ita et voluntariam societatem in Quinctiana, opposita ei societate hereditaria, id est communione quae intercedit cum herede defuncti socii; haec enim voluntaria non est, quia re, non consensu consistit».

appellandi concessam sibi videtur habere licentiam³²⁷). cum vero heres socius non sit, nec ei aut suffragii ius est aut ulla societatis administrandae potestas³²⁸). quo facilius autem intellegatur adscripta parte id effici, ut hereditaria societas inter heredem et socios superstites contrahatur, adscito vero herede etiam voluntaria, haec tria ultro afferre iuvat. primum, quod a Pomponio heredis ad cuius personam adscripta pars est condicio verbis quae sunt: ut heredi quoque conferri oporteat, ita describitur, ut eadem fuisse videatur, qua heredem nondum adscitum fuisse docet Ulpianus³²⁹). quae verba, si adscripta parte heredem optimo iure socium fuisse statuimus, vel supervacanea sunt vel etiam ei, quod statuimus, contraria: significant enim non omni ex parte heredis societatem valuisse. porro verba eadem testimonio sunt heredem nisi adscripta parte lucri damnique participem esse non posse. alterum est, quod qui socius adsciscitur, quoniam non demortui socii societatem continuat necessario, sed sua se sponte et voluntate ad superstites socios adiungit, heres amplius appellari recte non potest, sed socius. tertium denique est, quod socii ut heredem adsciscant cogi nullo modo possunt, ut ne sit quidem cur iusta quadam repulsae excusatione utantur; quo cum arbitrio illud «ex causa aestimandum» minime, credo, concinit. restat ut videamus ne exemplis careat disputatio, quibus cum omnino pertractatae rei lumen adhibeatur, tum a nobis lata comprobetur sententia. atque in testula quadam illius generis, quo genere testarum conductores vectigalium Aegyptii uti solebant, quibus pecuniam publici nomine acceptam testarentur, haec scripta invenimus: Ἰοὺλ(ιος) Σερῆνος πράκ(τωρ) ἀργ(ουρικῆς) Ἐλεφ(αντίνης) καὶ Ἀντώνιος Ἀμωνίου καὶ Οὐαλερίων (sequitur viri nomen proprium) ἀναδοθ(έντες?) εἰς κλήρο(ν) ἀντὶ Ἀρπ(αήσεως?)³³⁰), ut teneamus heredes duos unius socii (Ἀρπ...) adscripta huius parte ad personas illorum nec eos etiam tum adscitos, quia appellantur heredes. iam in alia publicanorum Aegyptiorum apocha eaque in charta papyracea scripta adscrip-

³²⁷) Cic. pro Quinct. 6, 26; 16, 52.

³²⁸) Renaud, das Recht der Actienges., cd. 2, 1875, p. 6.

³²⁹) In ceteris societatibus inter negotia ante socii mortem transacta posteaque gesta hoc intererat, ut ex illis lucri damnique nati heres particeps esset, ex his non esset (Schmid Archiv f. civil. Praxis XXXVI, 1853, p. 174). inter publicanorum vero negotia nullum huius modi discrimen esse potuit, quia hoc solum negotium societas vectigalium habebat, quod ab initio cum re publica contraxerat. ita fit ut res ipsa heredem in demortui publicani societatem succedere postularit.

³³⁰) Fröhner Rev. Arch. XI, 1865, p. 422 sqq., n^o 33.—data occasione gratias ago viro illustrissimo Udalrico Wilckeno, qui et universi illius testarum generis sylloges ab ipso incohatas plagulas primas, quibus plus centum et sexaginta ὄσπρακα continentur, inspiciendas mihi dederit, et huius testulae lectionem emendatiorem mecum communicarit.

tum videmus heredis nomen nomini conductoris, in qua apocha haec leguntur: Ἀμμώνιος Σωκράτους κληρονόμος τοῦ μετηλλαχότος αὐτοῦ πατρὸς κοινωνοῦ μου γεναμένου(sic)³³¹). plane igitur distinguitur heres a socio, quamvis et quaestus communis particeps sit et operas det societati, quas eum ante adscriptam partem dare nequaquam potuisse compertum habemus e Pomponio.

Adhaesisse societati publicanorum consortes quosdam affinesque conductionis homines ad lucri damnique communionem a sociis arcessitos ipse nos ad suspicandum adducit Polybius verbis illis, quibus omnis nostrae societatum cognitionis elementa continentur. quae enim, ut poeta ait, pars hominum gestit conducere publica³³²), hanc ille ita depingit, ut omnem fere civitatem se ad vectigalia redimenda applicavisse appareat³³³); quare necesse est multi publicorum partes habuerint sic, ut tamen publicanorum in ordine haudquaquam numerarentur. nec vero occulta illa quidem ac clandestina, at societate tamen cum his coniuncti erant: quam si coissent, iis non modo auctoritatem apud socios interponere, sed ne propria quidem commoda rite tueri ac defendere licuisset. fuisse igitur extraneos quosdam conductionum participes propriique iuris contra socios obtinendi potestatem iis datam esse perspicuum est.

Quam tamen rem nos nunc a Polybii testimonio profecti hac ratio- cinandi via assequimur, ea res novi nihil habet, sed iamdudum ab aliis alio modo demonstrata atque omnium antiquitatis investigatorum assensu comprobata est. qua ecquid potest esse testatius, si quidem in ipsis edictis censoriis a sociis distinguuntur affines? reperimus enim a. 585 quibusdam publicanis interdixisse censores, ne quis eorum — ad hastam suam accederet sociusve aut affinis eius conductionis esset³³⁴). quodsi quis ita nobis occurrerit, ut affines illos praedes intellegi posse contendat, nullo negotio refelletur. sint enim praedes; at in quaestus partem aut ita veniunt, ut socii, aut ita, ut externi quidam participes: atqui ab illis secernuntur: ergo hi sunt. ceterum praedes semper socios fieri consuesse iam ante demonstravimus. accedit quod in municipii Malacitani lege praeter praedes sociosque atque heredes etiam aliud quod-

³³¹) Par. Paris. 17 (Not. et Extr. XVIII, 2=F. I. p. 324).

³³²) Horat. epist. I, 1, 77.

³³³) Mommsen hist. Rom. I p. 852: «es gab nach Polybius Zeugnis kaum einen vermögenden Mann in Rom, der nicht als offener oder stiller Gesellschafter bei Staatspachtungen betheiligt gewesen wäre». — verbi causa suspicamur M. Licinium P. f. M. n. Crassum Divitem partes in publicis habuisse (cf. Cic. ad Att. I, 17, 9).

³³⁴) Adn. 68.

dam appellatur genus, ad quod illorum res pertinere dicitur: qui quidem videntur alii esse non posse nisi externi illi conductionis participes sive affines ³³⁵). quid quod in alio quodam edicto, quod ad censorium edictum praetor addidit, haec inveniuntur: qui de L. Marcio M. Perperna censoribus, socium ne admittito neve partem dato neve redimito. prohibetur igitur, quicumque ad hastam accessurus est, quominus eum, qui de L. Marcio M. Perperna censoribus aedem Castoris tuendam habuerit, in ultro tributis redimendis socium admittat partemve ei det, ut particeps scilicet sit redemptionis ³³⁶), denique quominus ipse redimat, si forte is sit, qui quid ab illis censoribus redemerit ³³⁷). nam si quis «tu» commune subiectum enuntiatorum omnium interponendum censet, ut ita conformatam orationem habeat: «tu, si is es, qui de illis redemeris, socium ne quem admittito neve cui partem dato neve ipse redimito», eam edicti vim fuisse concedat necesse est, ut veteres publicani mancipes fieri sociosque aut affines conductionis habere vetarentur, ipsi socii affinesve esse sinerentur; id quod cum a causa dissidet atque a Verris praetoris consilio, qui, si talia edixisset, vel Iunio patruo facultatem dedisset ut rem pupillo socio conduceret, tum huius edicti cum illo, quod Livius non ad verbum quidem tradidit, consensum omnem concentumque tollit, quae duo edicta quin non modo ad eandem rem pertinuerint, sed etiam verbis iisdem concepta fuerint dubitari omnino non potest ³³⁸). quodsi quid de oratione emendatiore aegre feras detrahi interpositi pronomini perpetua casuum mutatione, cave sis, dum haec meliora facere coneris, ipsam antiquitatis notam tollendam interlinendamque cures ³³⁹). quae cum ita sint, quod

³³⁵) Adn. 83.

³³⁶) Cf. Ps.-Asc. ad h. l. Or. V, p. 197: aliud enim socius, aliud particeps.

³³⁷) Verr. I, 55, 143; cf. 50, 130.—ad hunc modum edictum explanavit Fechner (zu Cicero's Verrinen, Philolog. XVI, 1860, p. 257); idem simul confutavit opinionem Manutii, qui cum cetera complementa eadem proposuerat tum in extremo ei, non ipse ante redimendi verbum supplendum censuerat.

³³⁸) Hoc ita est, si quidem verba partem alicui dare valent «proprii quaestus aliquem facere participem». sin illa partis conferendae vim habent, ut, quae duae res in societatem conferuntur, pecunia et opera, harum utriusque collatio eodem «dandi» verbo significetur partisque datio respondeat operae dationi, et edictum de quo agimus ad hunc modum explicandum esse videtur: «tu qui redemisti socium ne ullum habeto neve in ullam societatem partem conferto neve ipse maniceps esto», et quae de Rabirii Postumi consuetudine amicis dandi partes Cicero dixit (adn. 340) ita accipienda sunt, ut illis publica conducentibus Postumus affinis factus pecuniae quae ad conducendum opus erat partes subministrasse videatur. verum haec interpretatio reiectanea est; is enim partem dare dici solet, qui in sui quaestus partem alterum vocat (Plaut. Rud. 937: nisi pars datur), ut necesse sit partem a mancipe dari, accipi a partecipe.

³³⁹) Adn. 69.

supra diximus affines quosdam emptio-
num fuisse, qui publicorum partes
habent, socii autem non essent, anti-
quissimae aetatis monumentis con-
signatum est. adde Ciceronis quibus
Postumum celebrat laudes: nec
interea locupletare amicos unquam
suos destitit, mittere in negotium,
dare partis, augere re, fide susten-
tare³⁴⁰⁾. participes igitur conductionum
suarum vel etiam socios fecit
amicos³⁴¹⁾ idque fortasse sic, ut
pecuniam iis pro rata parte conferendam
crederet eorumve nomine conferret,
partim etiam ita, ut paene idem iis
deferret beneficium, quo Cn. Plancius
traditur tribules multos, cum publi-
canorum in operas patris auctoritate
et gratia mitteret, affecisse³⁴²⁾,
nisi quod horum plerique ut mercen-
narii sociorum procuratores, Rabirii
autem amici ut socii operas dedisse
videntur. ius autem suum haud secus
ac socios exsequi potuisse affines
cum ex edictis censoriis tum e lege
Ma-lacitana liquido apparet, nisi forte
a magistratibus quominus conductionum
participes essent prohibiti erant,
quo facto quaecumque inter eos et
socios intercedebant obligationes
irritae habebantur.

De affinium iure quamquam multi
multa disputant³⁴³⁾, certi nihil
habemus, praeterquam quod illis neque
suffragii ius neque honorum in
societate fuerit necesse est. dubitan-
dum igitur est, utrum hac illi condi-
tione in societatem recipi soliti sint,
ut quotienscumque necessitas obve-
nisset pro rata parte aes conferrent,
an cum semel certam pecuniam in
aleam dedissent nihil pecuniae opera-
e amplius societati deberent. quos
si quis illa condicione fuisse staturit,
cum sociorum heredibus plane
aequarit, nec id inepte: multi enim
non eo socii fieri volebant, quod pe-
ricula oneraque vitabant, sed quia
nomen publicani lucemque fugiebant.
magis vero viris doctis arrisit alterum:
eos enim affines fuisse credunt,
qui partes illas, quae de publicanis
emebantur ita, ut rursus venales
essent, haberent tenerentque. quarum
emptores nihil in societatem nisi
semel numeratum certum pretium
quo emissent videntur contulisse:
namque ita eas

³⁴⁰⁾ Cic. pro Rab. Post. 2, 4.

³⁴¹⁾ Cave tamen credas id sine sociorum consensu (cf. Cic. p. Pl 19, 47: patris auctoritate et gratia) facere potuisse Rabirium (cf. Bouchaud p. 245: «la société une fois formée, ceux des associés qui se trouvoient les plus opulens cédoient une petite part à leurs amis»). valebat enim illud: «socii mei socius socius meus non est»; nec potuit quisquam aut socius fieri nisi adscitus aut particeps nisi adscripta parte e decreto sociorum. quas autem quisque venales habebat partes, eas dono dare cuilibet poterat, de qua re infra dicemus.

³⁴²⁾ Cic. pro Pl. 19, 47.

³⁴³⁾ Cf. maxime Salkowskii quaest. pp. 60—68; z. Lehre v. d. j. Pers. pp. 38—41.—Dietrich (die rechtl. Nat. p. 15 sq.) etiam ad calculos vocavit socios affinesque, quo magis pecuniae inter utrosque partiendae rationem illustraret; nec id sane hercle in cassum, nisi quod vereor ne menda non nulla calculi isti contineant.

venire, abalienari, eripi denique potuisse perspiciamus, ut qui sibi ea sperabant nullo pacto se populo sociisve obligarent. quod tamen si ita est, sequitur ut huius modi partes ad emptoris personam adscribi solitae non sint, sed quisquis tenebat partem communis quaestus particeps fuerit: id quod in eos quidem affines, quos e censoriis edictis cognitos habemus, haudquaquam cadit. certi enim homines a conductionibus excluduntur, haec autem partes incertorum erant emptorum; quapropter veteres publicani quominus eas emerent nullo modo prohiberi poterant. itaque quamquam de re obscura ac paene ignota fidenter quicquam affirmari posse neutiquam putamus, tamen iis, quas modo attulimus, rationibus adducimur, ut partium emptores a societate prorsus alienos, affines autem qui vocabantur eodem iure atque sociorum heredes fuisse suspicemur. verum quidem haec incerta sunt; quae vero viri docti de partium quas supra diximus ratione eruerunt, ea certa tropaea tulit interpretandi ars interpretumque acumen. vicerunt enim eas et venales fuisse et «diversis temporibus pro ratione belli pacis, fertilitatis sterilitatis provinciarum» modo minus caras modo cariores³⁴⁴). id quod ex iis coegerunt, quae Vatinius Cicero obicit, cum ita loquitur: eripuerisne partes eo tempore carissimas partim a Caesare partim a publicanis? carissimas autem illo tempore partes ideo fuisse facile intellegitur, quod publicani Caesaris praesidio Vatiniique confisi se pecuniae remissionem a populo impetraturos esse sperabant³⁴⁵).

IX.

Operis societati dandis pecuniae in medium conferendae partes compensare complereve sociis licuisse Ulpianus docet³⁴⁶). sed alios quoque ho-

³⁴⁴) Orelli ad Cic. in Vat. 12, 29.

³⁴⁵) Cic. in Vat. 1. l. Drumann Gesch. Roms V p. 687 adn. 55.

³⁴⁶) Dig. 17, 2, 5, 1: *societas autem coiri potest et valet etiam inter eos, qui non sunt acquis facultatibus, cum plerumque pauperior opera suppleat, quantum ei per comparisonem patri monii deest. 17, 2, 29 pr. et § 1: si non fuerint partes societati adiectae, aequas eas esse constat. si vero placuerit, ut quis duas partes vel tres habeat, alius unam, an valeat? placet valere, si modo aliquid plus contulit societati vel pecuniae vel operae vel cuiuscumque alterius rei causa.—plerumque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat quam pecunia. atque haec quidem verba de societatibus facit omnino omnibus; de vectigalium autem societate dixit h. t. fr. 59 pr., quem locum ante laudavimus.*

mines liberos a sociis ad operas dandas undique acciri solitos esse satis constat. Valerius Maximus T. Aufidium, quamvis admodum exiguam Asiatici publici haberet particulam, fortunatiorem tamen P. Rupilio fuisse ut ostendat sic ait: at P. Rupilius non publicanum in Asia egit, sed operas publicanis dedit³⁴⁷). itaque societatum negotia partim per ipsos socios administrabantur, partim a mercennariis adiutoribus procurabantur. quorum cum non nulli pro societatis cui adiuncti erant magnitudine munerisque quo fungebantur momento in aliquo numero et honore essent, maxime tamen ipsi socii et auctoritate officii et nominis dignitate excelebant. magistratus in provinciis inserviebant publicanis; ornabant eos, qui in operis erant; quemcumque equitem Romanum in provincia viderant, beneficiis ac liberalitate prosequerantur³⁴⁸). atque illi quidem administri sociorum in operis fuisse videntur non pauci; quibus exempli gratia aut cunctos adnumeramus aut certe magnam partem eorum, quos a Cn. Plancio patris auctoritate et gratia in operas missos plurimos esse ante commemoravimus. sociorum autem quanta multitudo se in provincias, ut operas societatibus daret, contulerit, coniectura facile assequetur, si quis tot provincias publicanorum plenas animo perlustraverit. iam vero imperatorum aetate sociorum mos fuit, ut conducti publici partes nescio quo modo distributas singulas singuli administrarent³⁴⁹). verum tamen cum societatum erat fortuna florentior, sociorum maximi, dum Romae aetatem degunt, talibus vacabant curis, quas vel modicae sortis sociis vel externis illis procuratoribus in provinciis collocatis delegassent. genus igitur noscimus hominum liberorum in operis dandis occupatum idemque duplex vel potius propter complurium graduum condicionumque varietatem multiplex: quid enim est vel Terentio, qui in portu et scriptura operas pro magistro dedit, cum Rupilio portitore? cuius generis Cicero eam quidem partem, quae honeste rem quaerere videbatur, cum iis aequat confertque, qui, cum quaesito egerent, sumebant publica mercaturasque faciebant³⁵⁰). et mercatores quidem certe eos respicit, quorum quaestus

³⁴⁷) Val. Max. VI, 9, 8. fieri sane potest ut inflatus fama quam gesta res erat percreebuerit. attamen quod Ps.-Asconius dicit: hic est P. Rupilius, qui quondam ex publicano dictus consul (Or. V p. 212), nullius momenti est: videtur enim ille, cum quanta liberae rei publicae aetate publicani dignitas fuisset paene ignoraret, hunc a portitore discernere minime potuisse.

³⁴⁸) Verr. III, 41, 94.

³⁴⁹) Paul. Dig. 39, 4, 9, 4: socii vectigalium si separatim partes administrarent, alter ab altero minus idoneo in se portionem transferri iure desiderat.

³⁵⁰) Cic. parad. Stoic. VI, 2, 46: iis, qui honeste rem quaerunt merca-

non ita magnus fuerit neque tamen omnino tenuis aut sordidus³⁵¹); quos autem publica sumere consuesse dicit, non magni illi profecto fuerunt publicani, sed sive mancipum quaedam genera³⁵²), sive qui ab ipsis publicanis publica exigenda sumere solebant. sed videamus praecipue de horum condicione, qui ipsi non socii sociis operas dederunt; in quam nobis inquirentibus utinam, id quod saepius exoptamus, neve inopia certiorum testimoniorum neve augurandi copia esset!

Atque hoc maxime quaerimus: voluntarii illi ministri utrum certa mercede conduci soliti sint an aliis quibusdam praemiis allici afficique. convenit illud quidem in eorum condicionem, non tamen satis constat; nec vero hoc alterum equidem non nullorum eius rei vestigiorum habita ratione denegarim. Valerius idem, dum pergit de Rupilio: quem, inquit, (Siciliae portus) diurnas capturas exigentem animadverterant. cogitabant enarratores³⁵³) de vectigali quodam in portibus cotidie videlicet exigi solito: non temere quidem id vectigal suspicati, quale vel in Aegypto fuit ἐνόρμιον³⁵⁴); perperam vero quasi assertores facti servilis vocabuli in legum propemodum censoriarum sermonis dignitatem tamquam in libertatem vindicandi. vectigal enim hoc verbum significare nullum potest; quod quidem quamvis ab exactionum usu non prorsus alienum³⁵⁵) mercedis parum honestae vim hoc loco habere et usitata loquendi consuetudo³⁵⁶) et auctoris sententia postulant. quid vero? si mercedulam quandam diurnam a Rupilio quaesitam dicit, cur exigendi verbo utitur Valerius? nempe significat eum capturas illas cotidianas non a publicanis accipere, sed ab iis, qui portum invehebantur, conquirere consuesse: operas scilicet eius socii ita remunerabantur, ut eum vectigalium quae exegisset certa parte frui sinerent. quae remunerandi ratio eadem est, quam Cicero Verrem, ut scribam praemio ornaret, iniisse criminatur: scribae nomine de tota pecunia (pro frumento empto

turis faciendis, operis dandis, publicis sumendis intellegimus opus esse quaesito.

³⁵¹) Cic. de off. I, 42, 151.

³⁵²) Cf. adn. 262.

³⁵³) Cf. Lemaire apud Cagnatum (Etude sur les impôts indirects chez les Romains p. 87 adn. 6). contra disputant Burmann, Bouchaud (p. 250), Forcellini (s. v. «captura»), Cagnat (l. l.).

³⁵⁴) Fröhner Rev. Arch. XI, 1865, p. 422 sqq. n. 6. Marquardt St.-Verw. II p. 247 adn. 7. Wilcken Jahrb. d. Vereins v. Alterthumsfr. im Rheinl. LXXXVI, p. 253.

³⁵⁵) Isid. 335: captura deceptio vel locus piscosus et ubi sedet actuarius qui balneare exigit.

³⁵⁶) Cf. Val. Max. III, 4, 4; IX, 4, 1. Hor. sat. II, 7, 17 et ed. Diocl.: diurna merces. Curt.: quaestus diurnus.

solvenda) binae quinquagesimae detrahebantur³⁵⁷). quin etiam accusator, dum ita insequitur: quae pars operae aut opportunitatis in scriba est, cur ei non modo merces tanta datur, sed cum eo tantae pecuniae partitio fiat? verba ex cotidiano sociorum sermone consuetudineque videtur depromere, quorum delectu ipso iudicibus inculcet, Verrem quem e frumento emendo comparasset quaestum publicanorum more cum eo communicasse, qui sibi in ea re administer esset. si denique omnino deductiones quae ex illa pecunia cum scribae nomine tum pro collybo spectatione cerario factae sunt, ut apparitoribus praemio essent, non iniuria comparantur³⁵⁸) cum quadragesima quinquagesima aliis, quae, ut Taciti³⁵⁹) verbis utar, ex actionibus illicitis publicani invenerunt, has pecuniae accessiones socios iis, qui operas dabant, impertire solitos esse veri simile est. at enim quispiam: «si ii, qui operas dant», inquiet, «partes accipiunt, numquid distat mercennarius minister a socio?» distat vero vel plurimum. nam, ne multa, hic lucri damnique omnis, quodcumque faciebat societas, particeps erat, ille, si quam ipse pecuniam exegerat, eius partem retinebat. cum autem sociorum adiutores, dum capturas quas modo diximus exigunt, non parvum, ut opinor, ex operis dandis fructum capere consuissent, singularum publici partium stationumve privatim locandarum facultas sociis fuit. quae cum ita essent, videntur hi illos adiutores quasi novos quosdam vectigalium conductores constituere soliti esse in locis singulis³⁶⁰), qui haud sciam an portorii plerumque rationes suo periculo procurarint³⁶¹).

³⁵⁷) Verr. III, 78, 181. cf. Cic. p. Rab. Post. II, 30.

³⁵⁸) Marquardt St.-Verw. II p. 190 adn. 4.

³⁵⁹) Ann. XIII, 50.

³⁶⁰) Cf. Walter Gesch. d. röm. Rechts ed. 2 (1845) p. 279: «sic (sc. Zölle) wurden—an Publicanen verpachtet, die dann dort wieder ihre Unterpächter hatten (dieses sind die portitores, Ascen. in div. 10 p. 113 Or. oder τειλώνα: Ev. Luc. V, 27, 29)».

³⁶¹) Cum omnes, qui portum exigunt, appellantur portitores (cf. Donat ad Ter. Phorm. 1, 2, v. 100; t. 14), tum in eos maxime portitoris nomen cadit, qui portus sumpsisseperiuntur a publicanis. odiosi erant portitores, quippe qui et iniurias facere in exigendo portorio, et in mercibus perscrutandis omne molestiarum genus exhibere consuissent: ita fit ut qui publicanos contemnere minus possent, portitoris nomen aspernari soliti sint. (Cic. de off. I, 42, 150: primum improbantur ii quaestus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut feneratorum; in Vat. 5, 12, de leg. agr. II 23, 61; de r. p. IV, 7, 7). in titulo Aquileiensi (16) qui est: L. Aiacius P. l. Dama Iudaeus portor v. s. it., illud portor, quod quid significet ignorari addit qui edidit, aut quadratarii esse mendum, cui incidendum fuerit portitor, aut scripturae compendium esse solvendumque portor(iiconductor) arbitramur. similiter in titulo Augustano (47) nomen omissum esse videtur quod necesse est significet conductorem; legendum enim est, ni fallor, publ(ici) XX libertat(is) potius quam, quod Hirschfeldius vult, publ(icanus), etsi dici posse «publicanum alicuius publici» Gaii locus 3, 4 de-

quod quidem ὑπομισθωτῶν genus et in Aegypto videtur inveniri ³⁶²) et floruisse in Palaestina ³⁶³) itemque a Cicerone loco illo, quo de iis, qui publica sumere consuerunt, commemorat, verendum est ne designetur.

Omnibus, qui extra Urbem operas dabant, praefectum socii praepone-
re solebant eum, qui, cum ad magistri vicem proxime accederet, appel-
labatur pro magistro. quo munere functorum publicanorum duo soli
inveniuntur, qui id nominatim dicantur sustinuisse. accedunt tres fere,
quorum nomina ita memoriae tradita sunt, ut subdubitari de officio possit.
qui sunt: P. Cuspius, quem Cicero ait fuisse in Africa bis, cum maximis
societatis negotiis praeesset ³⁶⁴); Cn. Pupius, qui post ipsum magistrum
solus ex iis, qui in operis Bithynicae societatis erant, a Cicerone Cras-
sipedī commendatur sic, ut his omnibus praefuisse videatur ³⁶⁵); haud scio
denique an T. quoque Flavius Sabinus, imperatoris Vespasiani pater, qui

clarat. iam in t. 5. quod Mommsenus supplevit socii nequaquam traditum est, nec tamen
legi titulum alio modo posse satis constat.

³⁶²) T. 100 c. adn. Franzii; Letronne Recueil des inser. grecques (P. 1842) n. 138.—
cf. Birch Proceedings of the soc. of bibl. Archaeology V, 1883, p. 162: Φλασίως Εἰστοχ(ος)
ἀπομι(σ)θ(ωτῆς) Φλασίως Πάραξθ μισθωτοῦ; haec tamen lectio num recta sit incerti sumus.

³⁶³) Τελῶναί illi, quorum in Novi Testamenti libris identidem mentio fit, conductores
fuisse vectigalium tributorumve (cf. Matth. 22, 17 sqq.; Marc. 12, 14 sqq.; Luc. 20, 22 sqq.)
a Romanis impositorum sunt existimandi. unde et odiosiores Iudaeis quam ceteris nationibus
erant (cf. Naquet des impôts indirects chez les Rom., P. 1875, ch. VII), et, ut ethnicis inser-
viebant, ethnicorum numero (Matth. 18, 17) impiique (Matth. 5, 46; 9, 10, 11; Marc. 2, 15, 16;
Luc. 5, 30; 7, 34; 15, 1; 18, 10 sqq.; 19, 7) habebantur. neque enim qui δίδραχμον exigebant aut
invidiosi erant aut cum telonariis aequabantur (Matth. 17, 24). iam Palaestinae portoria
quin publica populi Romani aut Caesaris fuerint omnino dubitari non potest (cf. Ranke
Weltgesch. III p. 164). comprobatur sententia nostra Zacchaei verbis quae sunt: καὶ εἴ τι νό-
ς τι ἐσυκοφάντησα ἀποδίδωμι τετραπλοῦν (Luc. 19, 8). ex praetorio iure secum ipse agit poeni-
tens: tanti se damnat, quanti de manifesto furto aut de vi bonorum raptorum condemnari
solebant publicani (Lenel, das Edict. perp., Lps. 1883, p. 311 adn. 13). severior sane Verres
fuerat, quippe qui iudicium in publicanum daret in octuplum (Verr. III, 10, 26). itaque vecti-
galia tributave quidem τελῶναί exigebant ea, quae a Romanis Iudaeis imposita erant; publi-
cani vero vix fuerunt, quia erant perigrini, ut Matthaeus (Matth. 9, 9; 10, 3; Marc. 2, 14;
Luc. 5, 27), ut Zacchaeus (Luc. 19, 9; cf. Deloume, les manieurs d'argent à Rome, P. 1890,
ed. 1, p. 172, qui tamen vir doctus perperam ἀρχιτελώνην interpretatur fuisse pro magistro),
ut τελώνης ille pervagatissimae parabolae (Luc. 18, 10 sqq.). etenim, quamquam vel hunc
telonarium vel Matthaeum operas tantummodo publicanis dedisse suspicari licet, attamen
Zacchaeum ipsum conductorem fuisse nemo non videt. quoniam porro Palaestinae vectigalia
in ipsa provincia a procuratore Caecaris peregrinis fruenda locata esse veri simile non est
credendumque potius est una cum Syriae publicis Romae censoria lege venire solita esse,
illa, quae Walter quondam de hoc conductorum genere opinatus est (adn. 360), non im-
probamus.

³⁶⁴) Cic. ad fam. XIII, 6 a; cf. XIII 6 b; XVI, 17, 2. solent viri docti P. Cuspium exis-
timare fuisse magistrum (cf. Orellii onomasticon Ciceronianum); attamen et in ipsa provincia
negotia gerere eius erat, qui erat pro magistro, et maximis dumtaxat societatis negotiis
quae scilicet in provincia gerebantur, non ipsi societati praefuisse dicitur Cuspius.

³⁶⁵) Cic. ad. fam. XIII, 9, 2.

publicum quadragesimae in Asia³⁶⁶) ita egisse traditur, ut ei civitates non nullae imagines posuerint positisque «καλῶς τελωνήσαντι» subscripserint³⁶⁷). illi autem sunt L. Carpinatius et P. Terentius Hispo, quorum alter in Siciliae scriptura pro magistro fuit, cum Verres eam provinciam pro praetore obtinebat³⁶⁸), alter, eques Romanus, Ciceronis necessarius, operas a. 707 in portu et scriptura Asiae, a. 703 in eiusdem provinciae scriptura itemque fortasse a. 689 dedisse invenitur pro magistro³⁶⁹).

Hoc officium tale fuisse videtur, ut sociorum cum pecunia omnis, quae in ea provincia, ubi id agebatur, collocata erat, tum etiam opes periculum, invidia existimatio in eius, qui illo officio fungebatur, manu posita essent. erat multae curae atque operae munus; postulabat ut fidem ita diligentiam; opus denique erat, quo feliciter sustineretur, opportunitate non nulla ac perseverantia comitate coniuncta. quae quidem omnia ab eo maxime dispicientur, si qui singula quae is, qui pro magistro erat, procuravit negotia percensuerit. etenim ille, quamquam nihil insciis invitise sociis suscipiebat, tamen in horum mandatis ipsis cum exsequendis tum ad tempora rationesque provinciae accommodandis ita iis, qui societati praeerant, obtemperabat, ut magna illi esset proprio Marte pugnandi copia liberiusque faciendi facultas. cui in primis servi liberique quos tota provincia in operis habebat severa disciplina coercendi erant atque cum omnia, quae ad sociorum rem pertinebant, tuenda ac providenda, tum vero societatis pecunia, quae ubique locorum versabatur, cogenda, feneranda³⁷⁰), ita denique custodienda, ut ne unius nummi iactura dolo malo incuriave facta tabulis accepti et expensi in medium prolatis coargueretur. quarum tabularum eas quidem, quae in provincia conficiebantur, curabat ille³⁷¹) idemque tabulariis³⁷²) aerariisque³⁷³) quae ibidem publicani habebant

³⁶⁶) Hac fere aetate fuisse societatem, quae quadragesimam portus Asiae conductam haberet, testantur tituli (98. 99. 100).

³⁶⁷) Suet. Vesp. 1. cf. C. I. Gr. 5897: καλῶς τελωνήσαντι. quem titulum illi, cuius Suetonius mentionem facit, assimilatum a falsario esse suspicatus Hirschfeld ne fide nimis dignum putarem me monuit.

³⁶⁸) Verr. II, 70, 169; cf. II, 76, 186 sqq.; III, 71, 167; IV, 61, 137.

³⁶⁹) Cic. ad Att. XI, 10, 1; ad fam. XIII, 65; ad Att. IV, 7, 1.

³⁷⁰) Cic. ad Att. VI, 1, 16; cf. Vitruv. VI, 7, 2. versurae quoque fieri solitae sunt a publicanis (Verr. II, 70, 170; 76, 186 sqq.) atque haud scio an etiam argentariam iidem non numquam fecerint (cf. Cic. ad fam. V, 20, 9).

³⁷¹) Verr. II, 76, 186: nunc ad sociorum tabulas accepti et expensi—et ad amicum tuum Carpinatium revertemur. inspiciebamus Syracusis a Carpinatio confectas tabulas societatis. IV, 61, 137.

³⁷²) Verr. III, 71, 167: quas litteras ego apud Carpinatium in litterarum allatarum libris—inveni.

³⁷³) Cic. ad fam. V, 20, 9; simul illud cogitare debes, me omnem pecuniam—Ephesi apud publicanos deposuisse. cf. ad Att. XI, 10, 1.

erat praefectus. multa etiam scriptitabat: litteris enim in vicem datis acceptisque et de iis, quae gesta erant, urbanos socios certiores faciebat³⁷⁴), et, quae gerenda essent, a magistris edocebatur³⁷⁵). domicilium collocatum habebat in suae provinciae urbium celeberrima³⁷⁶), unde proficiscens, dum publicorum stationes frequentat inspicitque nec non civitates pactio- num conficiendarum causa revisit, totam provinciam peragrat³⁷⁷). operam maxime dabat, ut publicis populi Romani magistratibus sese sociosque optime commendaret³⁷⁸) gratiamque ac voluntatem conciliaret eorum, quos sive de paulisper convivendo, sive de ope ferenda, sive quid aliud necessum erat, precibus fatigare non desisteret³⁷⁹). quorum secundis auribus audiri magnopere eius, qui operas pro magistro dabat, intererat: nam et in ius sine dubio saepius ambulabat³⁸⁰), ter prodici malebat diem quam praestituta die pecuniam solvere quaestoribus³⁸¹), et, quod maximum erat, a praetoribus edicta sociis utilia intercessionisque, quibus ute- retur, ut civitates ad suas condiciones perduceret, expetebat³⁸²). in hoc enim summam ipsius existimationem agi putabat, ut persuadendi vi, conciliandi voluntate, monitionibus, minis civitates ad paciscendum commo- veret³⁸³). quae cum ita sint, eius momenti munus illud fuisse videtur, ut nisi a sociis expleri non posset. per quantum autem tempus ab iisdem sociis sustineri solitum sit, inde colligi potest, quod L. Carpinatium, ut eo anno, quo Cicero Verrem accusavit³⁸⁴), ita anno Vettii Servilii Antistii magistrorum³⁸⁵) atque adeo, ni fallor, per totum triennium, quo Verres

³⁷⁴) Verr. II, 70, 171 sq.

³⁷⁵) Verr. III, 71, 167.

³⁷⁶) Velut Carpinatius Syracusis (Verr. I. 1.), Ephesi Terentius (ad Att. XI, 10, 1).

³⁷⁷) Verr. II, 70, 169: *is cum praetorem per omnia fora sectaretur...*

³⁷⁸) Cic. ad fam. XIII, 9, 65.

³⁷⁹) Verr. II, 70, 172: Carpinatium saepe ad se de cius (sc. Verris) officiis litteras misisse dixerunt (socii); 70, 169: *sui quaestus causa et fortasse quod sociorum interesse arbitrabatur, penitus in istius familiaritatem sese dedit.* cf. Cic. in Gab. 36, 87: *servis tuis publicanis.*

³⁸⁰) Cf. Val. Max. V, 9, 7: *quem aliena tribunalia adulantem viderant.* Cic. de prov. cons. 5, 10: *statuit ab initio et in eo perseveravit, ius publicano non dicere.* cf. ad Att. IV, 7, 1.

³⁸¹) Quanti momenti fuerit quaestoris officium in tractandis publicanorum rationibus apparet e Ciceronis ep. ad fam. XIII, 9 exque bello quod P. Rupilius, cum pro quaestore Asiae esset, suscepit contra publicanos (cap. XII, 7). cf. Cic. div. in Caec. 10, 32 sq.

³⁸²) Cic. ad Att. VI, 1, 15; ad fam. I, 9, 26; III, 8, 4; Verr. III, 10, 25; 14, 36, 15, 38.

³⁸³) Cic. ad fam. XIII, 65.

³⁸⁴) Verr. II, 70, 169: *in scriptura Siciliae pro magistro est quidam Carpinatius.*

³⁸⁵) Verr. III, 71, 167.

Siciliae praeerat³⁸⁶), operas eidem societati pro magistro dedisse reperimus itemque P. Terentium in Asia intra annos quattuor bis et haud sciam an etiam quinquennio ante offendamus scripturariorum sociorum negotiis praefectum, quare eum annis non minus novem continuis eo munere functum esse putaremus, nisi suspicio incideret fuisse societatum non nullarum morem, ut non perpetuo in provinciis haberent qui esset pro magistro, sed quotienscumque res postularet urbanos socios ad huius modi operas dandas, maxime ad conficiendas magistri nomine pactiones eo mitterent transactisque quae opus essent negotiis revocarent; nascitur autem haec suspicio cum ex ipsis Ciceronis verbis quae sunt vel: P. Terentius — operas — pro magistra dedit: is Q. filium Ephesi vidit, vel: fuit in Africa bis, cum maximis societatis negotiis praeesset, tum quod Sicilia eo, qui operas illas perpetuo daret in portorio, caruisse videtur. verum haec res utcumque se habet, certe ut quisque ad illud munus sustinendum maxime idoneus videbatur, ita a sociis aut retinebatur longius aut saepius arcessebatur. enitebantur igitur qui id sustinebant, ut ipsorum operae quam gratissimae sociis essent³⁸⁷); quamobrem etiam magistratus publicos, si quos sibi benevolos habebant, in hanc mentem impellebant, ut illas laudarent³⁸⁸).

Consentaneum sane est in ea societate, quae magistrum nullum haberet, nullum operas dare potuisse pro magistro. erat igitur hoc institutum magnarum illarum societatum, quae in libera re publica maxime floruerunt, proprium, cum vero plerique mancipes ipsi societates administrare coepissent, vel supervacaneum factum esse videtur. verum tamen ea ipsa aetate inter Caesarum procuratores inveniuntur promagistri³⁸⁹), quorum munia ab iis operis, quas socii dederant, non diversa fuisse apparet. nimirum Caesares, cum et publicanos retinere ac reservare decrevissent, et, quo facilius eosdem coercerent custodirentque, publicorum exigendorum curam cum ipsorum administris quodammodo communicatam esse vellent, in hoc novo procurationum genere instituendo sociorum instituta imitati sunt ita, ut cum propriae administrationis rationem ad illorum normam omnino dirigerent, tum etiam, quibus muneribus functos viderant socios, eadem proprios procuratores ne appellatione quidem com-

³⁸⁶) Verr. II, 70, 169 sqq.

³⁸⁷) Cic. ad fam. XIII, 9, 3; 65.

³⁸⁸) Verr. II, 71, 173.

³⁸⁹) C. III 6065 (14195):—promag. (graece ἀρχιτελώνης) portuum [p]rovinciae Siciliae, item promag. frumenti mancipalis. promagistri XX hereditatum appellantur in titulis C. VI 1620, XI 5835, XI 1326, XII 671.

mutata sustinere iuberent, ut promagistri munus atque magistri³⁹⁰): de qua quidem re alias nobis non defuturum esse disserendi locum putamus; hoc autem loco illorum procuratorum cum ideo facimus mentionem, ut eos, qui in titulis nominantur promagistri, non publicanorum in operis fuisse identidem moneatur³⁹¹), tum vero quo magis intellegatur, quanti ad publica administranda momenti magistri eiusque qui pro illo erat fuerint officia, si quidem Caesares, cum ipsi vectigalia exercere conati essent, qui illorum partes susciperent procuratoribus nequaquam carere potuisse perspiciuntur.

Restat ut de alio quodam officio videamus, quo qui functus esse reperitur dubitamus an sociis potius quam sociorum familiae sit adnumerandus. dum enim L. Caprinatius in Siciliae scriptura pro magistro est, L. Canuleius quidam in portu Syracusis operas dedit teste Tullio³⁹²). ac, quamquam officii in quo fuit incerta appellatio est, portus tamen praepositum Canuleium fuisse arbitramur. curabat enim portorium Syracusanum³⁹³) quarumque rerum nomine id exactum erat earum scribebat rationes; quod genus libellos singulorum mensium Romam magistro mittere solebat³⁹⁴). quod autem cum ipso magistro quae opus erant communicare consuerat³⁹⁵), id vereor ne signum sit in Siciliae portu, ut supra commemoravimus, socium nullum fuisse qui esset pro magistro. itaque quae negotia is qui pro magistro operas dabat in universa provincia administrabat, iis fere in unius urbis portu Canuleius praecerat. apud hunc igitur quicumque sibi aliquo nomine portorii immunitatem assumebant merces quas secum habebant, ut exportandarum earum importandarumve veniam impetrarent, profitebantur³⁹⁶). sed iam ad ipsam sociorum familiam transeamus.

³⁹⁰) C. IX 5835.

³⁹¹) Cf. Hirschfeld Verw.-Gesch. I¹ p. 133 adn. 4.

³⁹²) Verr. II 70, 171.

³⁹³) Alios aliis oppidis praepositos fuisse intellegimus ex Verr. II, 75, 185.

³⁹⁴) Verr. II 72, 176; 74, 182.

³⁹⁵) Verr. II, 75, 184.

³⁹⁶) Cf. ep. Sev. et Car. ad Tyranos (C. III 781 c. adn. Mommseni).

X.

Familiis permagnis³⁹⁷⁾ ac longe lateque per provincias diffusis³⁹⁸⁾ publicani utebantur, quarum sine opera in publicis exercendis consumpta tanta negotia administrari non poterant. familia autem societatis cum illa intellegebatur, quae e sociorum servis constabat³⁹⁹⁾, tum etiam univ-
sum eorum corpus, qui in operis sociorum ita erant, ut socii non essent, quo corpore non modo servilis societatis familia, sed liberi quoque atque alieni servi continebantur⁴⁰⁰⁾. nec vero mirum cuiquam, credo, videbitur, quod familiae appellatio minus ad statum eorum, qui publicanis inservie-
bant, quam ad officia referri solita est: publicae enim illa potius quam privatorum familiae assimilari potest nec tam certis sociis quam publicis assignata fuisse invenitur, si quidem sociorum et servi, ni fallor, voca-
bantur servi vectigalis publici⁴⁰¹⁾, et liberti nomen trahebant a vecti-
gali⁴⁰²⁾, et omnino quicumque in operis erant iura ea, quae ad publica exigenda pertinebant, publice exercebant⁴⁰³⁾. quid quod iidem singulis

³⁹⁷⁾ Plin. n. h. XXXIII, 4, 18: exstat lex censoria Victumularum auri-
fodinae in Vercellensi agro, qua cavebatur ne plus V milia homi-
num in opere publicani haberent. Str. XII, 3, 40 p. 562 C.: πλειόνων—ἡ διακο-
σιῶν ὄντων τῶν ἐργαζομένων (sc. in σάνδαρουργείῳ quodam Pontico a publicanis conducto).
Polyb. XXXIX, 4: ὕπον (sc. in argentifodinis ad Carthaginem Novam) τέτταρας μυριάδας
ἀνθρώπων μένειν τῶν ἐργαζομένων. atque haec quidem testimonia ad metalla pertinent; Pompeius
autem traditur, prius quam e Cypro discederet Pelusium, duo milia hominum armasse, partim
quos e familiis societatum delegisset, partim a negotiatoribus coëgisset quosque ex suis
quisque ad hanc rem idoneos existimasset (Caes. b. c. III 103).

³⁹⁸⁾ Cic. de imp. Pomp. 6, 16: publicani familias maximas—in salibus
habent,—in agris,—in portibus atque custodiis.

³⁹⁹⁾ Ulp. Dig. 39, 4, 12, 2: familiae autem appellatione hic servilem
familiam contineri sciendum est.

⁴⁰⁰⁾ Ulp. Dig. 39, 4, 1, 15: familiae nomen hic non tantum ad servos
publicanorum referemus, verum et qui in numero familiarum sunt
publicani, sive igitur liberi sint, sive servi alieni, qui publicanis
in eo vectigali ministrant, hoc edicto continebuntur.

⁴⁰¹⁾ Tit. 2. 3. 17. 18. quos titulos ad publicanorum, non ad Caesarum familias perti-
nere veri simile est (cf. Hirschfeld Verw.-Gesch. I^a p. 69 adn. 3; p. 64 adn. 3; p. 76 adn. 2);
ad publicos servos certe referendos non esse Mommsenus (St.-R. I^a p. 331 adn. 5) monuit.
in t. 98 Primio XXXX portus Asiae vilicus appellatur ita, ut simul audiatur
sociorum. item in t. 95 L. Aelius Hylas dicitur vicesimae (scilicet, ni fallit
opinio, sociorum) libertus, nisi vero XX libertatis) (conductor) intellegendus
est (cf. adn. 316).—accedit Logus ser(vus) act(or) port(us) Lilybact(a)ni (t. 26).

⁴⁰²⁾ Adn. 204.

⁴⁰³⁾ Lege metalli Vipascensis conductor actor iubetur vectigalia exigere (vv. 4. 5. 6.
8. 13. 15. 18. 39. 45. 51. 52. 55), pignora capere (vv. 16. 35. 41. 45. 53), res commisso
vindicare (v. 54); apud hunc professiones erant faciendae (v. 60), huic, si stipulari a vendi-
tore volebat, promittere venditor debebat (v. 5.) cf. Cic. de prov. cous. 5, 10: quo in op-
pido ipse esset aut quo veniret, ibi publicanum aut publicani ser-
vum esse vetuit.

publicis ita attributi erant administri, ut qui eiusdem societatis erant unum corpus vectigalis causa paratum universi haberentur⁴⁰⁴), sive servi erant, sive liberi, quam ob rem consequens esse videbatur, ut liberi quoque familiis adnumerarentur⁴⁰⁵). quin etiam collegiorum in modum constituta videmus familiarum corpora, quod genus collegium fuisse arbitramur, cuius album incisum offenditur in ara Aquileiensi Mercurio dedicata a servis quibusdam liberisque in honorem Alfi Plocami publicani eiusque, ut opinor, sociorum⁴⁰⁶). eodem pertinet quod iis, qui eiusdem familiae erant, et religiones quaedam cum ipsorum officio coniunctae propriae⁴⁰⁷), et sepulturae loci communes⁴⁰⁸) fuisse reperiuntur. quae omnia multum sane profecerunt, quo facilius publicanorum familiae ab agresti feraque vita ad paulo humaniorem cultum deducerentur. nimirum non eo solum, quod ad provincias armis subactas penitus devincendas spoliantesque comparatae esse videbantur, copiarum instar habebant⁴⁰⁹), verum etiam ideo cum his conferri poterant, quia iuventute valenti viribus moribusque feroci abundabant, quae et caedes interdum faciebat⁴¹⁰), et ab imperatoribus populi Romani ad exercitus complendos deligebatur⁴¹¹). ad faciendas autem iis, qui vectigalia pensitabant, iniurias vimque inferendam ita promptae erant⁴¹²), ut imperiis⁴¹³) iudiciis-

⁴⁰⁴) Ulp. Dig. 50, 16, 195, 3: servitutium quoque solemus appellare amilias, ut in edicto praetoris ostendimus sub titulo in furtis, ubi praetor loquitur de familia publicanorum. sed ibi non omnes servi, sed corpus quoddam servorum demonstratur huius rei causa paratum, hoc est vectigalis causa. cf. Cohn, z. r. Vereinsr. p. 6 sq.

⁴⁰⁵) Cf. Cic. Brut. 22, 85: cum—in simularetur—familia, partim etiam liberi, societatis eius cet.

⁴⁰⁶) T. 25 cf. C. V ind. p. 1168: «publicanus et familia eius, ex parte liberi». versus quarti litteris singularibus M. C. «magistrum collegii» significari interpretatur Krašeninnikov in commentatione rossice scripta, inscripta «Studia Epigraphica» (Petropoli 1892, n. 8).

⁴⁰⁷) Tit. 68. 78. 87 (cf. C. III 7853; 8140=1647). 25. 48 (cf. Eph. Ep. V 317). Mommsenus (C. V p. 75) conicit Minervae aedema quod in agro Tergestino ultra Timavum fuisse invenitur, liberae rei publicae aetate dedicatam esse «a sociorum portitorum sive servis sive libertis».

⁴⁰⁸) Tit. 18. 22. haud scio an sociorum quorundam familia urbana societatem funerum faciendorum causa Romae coierit eam, de qua mentio fit in titulo urbano C. VI 10326; cuius societatis primus curator C. Causinii Scholae equitis Romani, fortasse publicani, libertus factus esse invenitur.

⁴⁰⁹) Cf. App. b. c. II, 1, 13: οἱ δ' ἰππεῖς λεγόμενοι—δυνατότατοι ἐς ἅπαντα περιορίας τ. ὄψεα καὶ μισθώσεως τελεῶν καὶ φόρων—καὶ πλήθους βεβαιοτάτων ἐς ταῦτα θεραπεύοντων κτλ.

⁴¹⁰) Cic. Brut. l. l.

⁴¹¹) Caes. b. c. l. l.

⁴¹²) Ulp. Dig. 39, 4, 12, pr.: quantae audaciae, quantae temeritatis sint publicanorum factiones nemo est qui nesciat. Gai. Dig. 39, 4, 13, 2: tenobitur servi nomine, qui tam factiosam familiam habuit.

⁴¹³) Diod. XXXVII, 7: Λεβόκιος (scr. Κόιντος) ὁ Σχαιουόλας—τὰ τῶν δημοσιωνῶν ἀνομή-

que⁴¹⁴) quam acerrime essent coërcendae ac refrenandae, praesertim cum saepius etiam vagi et fugitivi servi iisdem continerentur⁴¹⁵). quas ipsi publicani ut cohiberent continerentque vel necessitate coacti per eos ministros, qui praecipuas societatibus operas dabant, severa disciplina moderabantur. ita enim illae erant ad societatum utilitatem compositae exactionumque ad usum accommodatae, ut mancipiorum greges certa ratione descripti ac distincti⁴¹⁶) variis ministris ad praecipua quaedam munera sustinenda adhibitis ad nutum praesto essent. hos ministros percensere perscrutarique munera propositum nobis est, quo magis etiam e familiarum constituentium ratione publicani paene Arachnea arte suam telam texuisse cognoscantur.

Verum tamen qui tum, cum societates vectigalium maxime florebant, munera illa sustinuerunt publicanorum administri, quamquam his, quibus eadem curationes a sociis postea mandari solitae sunt, nequaquam aut pauciores fuisse aut aliter appellati esse perspiciuntur, nihilominus, quoniam raro eorum mentio fit apud scriptores, a nobis paene ignorarentur, nisi quae de recentioris aetatis familiis lapidum maxime testimonio didicimus ad antiquiores quoque pernoscendas sufficere viderentur. itaque quaecumque fere ex aetatis imperatoriae titulis eruuntur, quatenus ad publicanorum familias pertinent, a priore aevo repetenda esse censemus. quae quidem qualia sint infra videbimus; huius autem aevi aequali teste memoria, ut Syracusani portus praepositum, de quo supra diximus, omittamus, tria omnino novimus genera ministrorum. ac primum mentio fit de sociorum servo, per quem societatis tabulae confici solitae sunt⁴¹⁷);

μαστ διορθώσατο—καὶ τὰς μὲν ἀργυρικὰς βλάβας τοῖς ἡδικημένοις ἐκτίνειν ἠνάγκαζε, τὰ δὲ θανατικὰ τῶν ἐγκλημάτων ἡξίου κρίσεως θανατικῆς, ὅτε δὴ τὸν κορυφαῖον τούτων οἰκονόμον, διδόντα μὲν ὑπὲρ ἐλευθερίας πολλὰ χρήματα καὶ συμπεφωνηκότα πρὸς τοὺς κυρίους, ψήσας τὴν ἀπολύτρωσιν καὶ θανάτου καταδικάσας ἀνεσταύρωσεν.

⁴¹⁴) Diod. l. 1.: πᾶσι γὰρ τοῖς ἡδικημένοις ἀκριβῆ κριτήρια προστατέων καταδίκους ἐν ἅπασιν ἐποίει τοὺς δημοσιώνας. Lencl, das Edictum perp. §§ 138 (p. 268), 183 — 185 (p. 311 sqq.).

⁴¹⁵) Ulp. Dig. 39, 4, 12, 2.

⁴¹⁶) Tituli 43 versu quinto locum quem vilicus tenuerit in familia societatis significari ad hoc exemplum «l(o c o) XIII p(e r) a(n n o s) VI» Mommsenus coniecit; nos, cum L littera «l(o c u m)» denotari libentissime concedamus, arbitramur tamen legendum esse «l(o c o) XIII p (o n d o) a(u r i) [aut a(r g e n t i) aut a(e r i s)] VI», quoniam neque communis loquendi usus Allmeriana illa «p(o n d o) a(u r i)» pro «a u r i p o n d o» prorsus repudiat (cf. Liv. XXXII, 7, 4), neque illud scripturae compendium, quod est «l(o c o) XIII», quo scilicet significabatur locus ubi vilici donum in aede Matrum positum erat, ab usu ordinandorum thesaurorum alienum fuisse constat (Bull. dell' Inst. 1863, p. 61 sq.; 1864, p. 10; Helbig Führer durch die öff. Samml. class. Alt. in Rom., n. 609. 958).

⁴¹⁷) Verr. II, 77, 188: ego instare ut mihi responderet—cur servus societatis qui tabulas conficeret semper in Verrucii nomine certo ex loco mendosus esset.

cui muneri qui postea in familiis vectigalium praeerant videntur appellati esse tabularii. porro saepius tabellarii sociorum obvii nobis sunt⁴¹⁸), qui, tamquam bellici quidam nuntii, modo Urbem curiamque, ut ita dicam, publicanorum petunt, modo provinciarum castra repetunt. ideo enim huc illuc properant, ut de rebus foris gestis magistris, de iis, quae domi decreta sunt, provinciales socios certiores faciant. quem quasi publicum cursum instituerunt publicani, maxime eo consilio, ut quae inter socios urbanos eosque, qui procul ab Urbe negotiis detinebantur, communicanda erant utrisque sine mora perferrentur. quare et discedebant illi saepius, et celeritati studebant cotidieque fere per illos Romam afferebantur litterae, quarum pleraeque Asiatica illa cera obsignatae cernebantur⁴¹⁹). tertium denique ministrorum genus indicat *χορφαίου* cuiusdam publicanorum *οικονόμου* apud Diodorum commemoratio⁴²⁰), quem hic rerum scriptor, priusquam manumissionem a sociis precibus nummisque datis impetraret, a Q. Mucio Scaevola Asiae praetore cruci suffixum esse tradit. tenemus igitur vilicum, quem graecum illud vocabulum, quod est *οικονόμος*, praecipue declarat; nec miramur illum fuisse *χορφαῖον*, si quidem vilicus erat: fuerunt enim multi in publicanorum familia vilici iique muneris momento laud pares. Cicero autem, quod, cum de mancipio quodam Siciliensi verba facit, vicarium nullum huic fuisse ait, nihil omnino peculii⁴²¹), non novum munus nominat, sed facete usurpat nomen vicarii, ut mancipem illum, quod servus Venerius fuerit, derideat: nam servorum erat et peculium habere, et vicarios.

Imperatoriae aetatis largius affluentes tituli permultum ad societatum familias cognoscendas opituantur. quarum instar ordinatae Augustorum familiae, quo facilius illarum operas aemularentur, ex iisdem fere ministrorum generibus constabant; quamobrem ad ea, quae e publicanorum titulis didicerimus, confirmanda adaugendaque perpetuo comparebuntur. atque in earum iuscriptionum, quae ad sociorum familias pertinent, ple-

⁴¹⁸) Cic. ad Att. V, 15, 3: tu autem saepe dare tabellariis publicanorum poteris per magistris scripturae et portus nostrarum dioecesium. V, 16, 1: etsi in ipso itinere et via discedebant publicanorum tabellarii et eramus in cursu, tamen surripiendum aliquid putavi spatii cet. V, 21, 4: acceperat autem satis celeriter Iconii per publicanorum tabellarios a Lentuli triumpho datas. VI, 9, 4: ego tabellarios postero die ad vos eram missurus, quos puto ante venturos quam nostrum Saufeium.

⁴¹⁹) Cic. pro Flacc. 16, 37.

⁴²⁰) Diod. l. l. (adm. 413).

⁴²¹) Verr. III, 38, 86.

risque appellantur vilici⁴²²), quibus apud Graecos *οἰκονόμων* nomen fuisse tituli bilingues duo testantur⁴²³). hi, quoscumque novimus, aut sociorum servos se profitentur, aut statum quo sunt omnino non edunt, ut tamen servi esse publicanorum facillime perspiciantur. quoniam vero in singulis familiis erant multi, non idem omnium gradus nec partes eadem erant. itaque, ut omittam discrimina locorum, quorum in aliis eadem officia graviora atque honestiora, in aliis minoris ponderis erant, certe alii dicuntur sociorum servi vilici nulla addita praecipuae curationis designatione; alii vilici vocantur alicuius publici, quod appellationis genus non distat fere ab eo, de quo modo commemoravimus; multi porro appellantur vilici stationum singularum, non nulli summarum; unus denique simul nominatur arcarius, qui tamen ut publicanorum servus fuerit veremur. vilicorum provincia haec plerumque fuisse videtur, ut alii alias publicorum stationes ita fere administrarent, sicut a privatorum vilicis privati fundi familiaeque exerceri solebant. quamquam etiam plures vilici in eadem statione collocati non numquam inveniuntur⁴²⁴). quibus autem stationibus praeerant, pecuniae in his exactae rationes conficiebant eamque asservabant; cuius rei testes sunt effigies in sepulcris expressae vilicorum duorum, quorum alter volumen, alter cistellam tenentes effecti sunt⁴²⁵). cum igitur stationibus publicorum familiisque ibi constitutis praepositi essent, mancipia ad manum habebant, quae appellabantur vilicorum servi⁴²⁶) vicariive⁴²⁷). in Caesarum familiis, quae portoriorum publicorum et vicesimae hereditatum procuratoribus attributae erant,

⁴²²) Vilicus stationis Atrantinae portorii Illyrici: t. 66. vilici omni loci vectigalisve praecipuae officii definitione sublata nominati in familia conductorum portorii Illyrici: tt. 59. 65. 70. 74. 77. 78. 80; efr. tt. vilicorum vectigalis Illyrici, qui Augustorum servi fuisse videntur: 60. 63. 72. 82; accedit titulus Mehaesensis (v. app. s. t. 75).—cond(uctoris) VIII ser(vus) vil(icus) XX: t. 87.—vilicus stationis quadragesimae Galliarum: t. 40. sociorum eiusdem publici servus vilicus, cum loci cui attributus erat designatione appellatus: t. 43. eorundem sociorum vilicus summarum Segusione: t. 42. — sociorum IIII publicorum Africae servus vilicus summarum: t. 103. — sociorum portus Asiae servi vilici cum locorum quibus attributi erant definitione appellati: tt. 98. 99. 100.— incerti vectigalis vilicus urbanus sociorum fortasse servus: t. 10. — vilici vicesimae libertatis: tt. 20. 21. 33. 48. 49. 97. (publicanorumne servi hi fuerint an Augustorum incerti sumus).—vicesimae hereditatum vilicus summarum (t. 29) itemque vilicus et arcarius (t. 37) Augustorum servi fuisse videntur.—conductorum metallorum servi vilici: tt. 32. 90.

⁴²³) Tt. 98. 100.

⁴²⁴) T. 65.

⁴²⁵) C. V 8650 (t. 63); III S. 7287=Eph. Ep. 100 (t. 90).

⁴²⁶) T. 98.

⁴²⁷) T. 66. cf. C. III 1351.

multi inveniuntur vilici⁴²⁸), qui iidem, ut servi esse Augustorum sive commemorantur sive intelleguntur, ita modo nulla addita praecipui officii

⁴²⁸) Vectigal Illyrici.—vilici vectigalis Illyrici: c. III 7435=752 (Nicopoli ad Istrum): I(o vi) o(p tim o) m(ax im o) et num(i ni) Aug(usti) n(o stri) et (genio) p(ublici) p(ortorii) pro(c)uratore Aviano Bellico, Maceio Caes(aris) n(o stri) ser(vus) vilicus vectigal(is) Illyrici Idib(us) Sept(embribus) Mamer(tino) et Rufo co(n)s(ulibus) (a. p. Ch. 182). C. III S. 8163 (Guberevci, in Moesia inf.): invicto deo Ision Caes(aris) n(o stri) ser(vus) vil(icus) vectigal(is) Illyr(ici) templ(um) omn(i) re instruct(um) a solo p(ecunia) s(ua) faciendum) curavit.—vilici stationum: C. III S. 11674=Eph. IV 585 (Atrante, in Norico): d(eo) [i(nvicto)] M(i thrac) Marti(jalis) Aug(g.) servus pro salute Primigeni Aug(g.) n n. vil(ici) s(t)at(ionis) Atrantin(ae). C. III 5620 (inter Iuvavum et Ovilava): d(eo) i(nvicto) M(i thrac) Secundinus Aug(usti) n(o stri) vil(icus) stat(ionis) Esc(ensis) vot(um) ret(tulit) l(ibens) l(aetus) m(erito) (cf. Domaszewski, arch.-ep. Mitth. aus Oest. XIII p. 138 adn. 58). C. III S. 10876=Eph. IV 480 (Poetovione, in Pannonia sup.): ...[Aug(g.) vel dd.] n n. vil(icus) stat(ionis) Savarensis pro salute sua et s(u)orum [votum] s(olvit) l(ibens) m(erito). C. III 4161 (Savariae): Nemesi Aug(ustae) sac(rum) Heliodorus Aug(usti) n(o stri) vil(icus) stat(ionis) Savariensis pro salute sua et suorum votum s(olvit) l(ibens) m(erito). C. III S. 7853=1351 (Miciae, in Dacia): I(o vi) o(p tim o) m(ax im o), terrae Dac(iae) et genio p(opuli) R(omani) et commercii Felix Caes(aris) n(o stri) ser(vus) vil(icus) stat(ionis) Pont(is) Aug(usti) promot(us) ex st(atione) Mic(ensi) ex vi(cario?)...—vilici: c. III 5117 (Atrante): Atranti Aug(usto) sac(rum) Fortunatus C. Antoni Rufi pro(c)uratoris Aug(usti) ser(vus) vil(icus) vot(um) s(olvit) l(ibens) m(erito). C. III S. 8140=1647 (in munic. Margensi): ...[genio?] splendidiss[im]i vecti(galis) Illyrici sub cura Iul(c)u(n)di Marci v(iri) [e]g(regii?) pro(c)uratoris Aug(usti) Bellicus Caes(aris) n(o stri) verna vil(icus) Idib(us) Sept(embribus)... C. III 1565 (ad Mediam, in Dacia): Herculi pro salute imp(eratoris) M. Aurel(ii) Ant(oini) Pii Aug(usti) et Iuliae Dom(n)ae Aug(ustae) matri Aug(usti) et castrorum sub cura Iul(ii) Paterni pro(c)uratoris Syntrophus vil(icus). C. III S. 8042 (Cclei): [Imp(eratori) Caes(ari)] M. A(ur(eli)o) Commod(ano) Ant(oino) Aug(usto) sub cura C. Xenophontis pro(c)uratoris Aug(usti) Zoticus et Sallvianus ser(vi) vil(ici) posu(er)u(n)t] (cf. C. III 7127). C. III S. 7837=arch. ep. Mitth. XI p. 237=XIII p. 143 adn. 75 (Ampeli Daciae): [Isid(i?)] pro salute M. Iul(ii) Apollinaris Ver(us) Aug(usti) n(o stri), Romanus Aug(usti) n(o stri) verna(e) vil(ici) posuit (sic).—cf. tt. 60. 63. 72. 82.

Quadragesima Galliarum.—vilicus XXXX Gall.: C. XII 717 (Arelate): D(is) M(anibus) Aproniano Aug(g.) n n n. verna vilico XL Gal(liarum) coniugi pientissimo Baedia Politice.—vilicus stationis: C. V 7211 (ad fines Cottii): ...Caes(aris) [n(o stri) ser(vus) vilicus] stat(ionis) Matron(is).

Vicesima hereditatum.—vilicus XX her. utrarumque Pannoniarum: C. III 4065 (Poetovione): Venulcio Procul(o) v(ixit) a(nno) I dieb(us) X. Proculus Aug(g.) n n verna vil(icus) XX her(editatum) utrarumq(ue) Pann(oni)arum cum Valentina filio fecerunt.—vilicus stationis: C. XII 1926 (Viennae): D(is) M(anibus) Rufini Caes(aris) n(o stri) vil(ici) XX her(editatum) stationis Vienn(ensis) Taminia Severina coniugi piissimo.—vilicus et arcarius XX her.: C. III 1996 (Salonis Dalmatiae): D(is) M(anibus) Quintiano verna Aug(usti) vilico et arcario XX her(editatum) Iulia Helpis coniugi bene m(erenti) posuit. cf. tt. 29. 37.

De vicesima libertatis diximus in adn. 422.

significatione modo publici saltem stationisve apposito nomine appellantur; nec deest, qui simul arcarius fuisse reperiatur; summarum vero vilici non nominantur.

Vocabulo graeco quod est *οἰκονόμος* sonatque «vilicus» dispensatorem quoque significari solitum esse cum glossae⁴²⁹⁾ tum titulus quidam et graece et latine scriptus⁴³⁰⁾ declarat. nimirum qui vilicabant in stationibus vectigalium quique pecuniam dispensabant, eadem fere praestabant officia, nisi quod dispensatoris munus ad rationes acceptorum et datorum conficiendas potissimum pertinebat. percensentibus vero nobis publicanorum familias nulli omnino occurrunt dispensatores; quorum tamen operae, cum Augustorum procuratores minus deficerent⁴³¹⁾, ne socios quidem prorsus defecisse videntur.

Arcarii munia videmus cum vilici negotio partim ita coniuncta, ut qui huic praeerant iidem arcam plerumque administrarent, qua cum consuetudine etiam glossarum testimonium congruit, quae vilicum arcarium interpretantur⁴³²⁾, partim ita, ut iidem homines utroque munere simul fungerentur appellarenturque vilici et arcarii. fuerunt tamen etiam servi arcarii liberique a vilicis diversi, quamvis et condicione qua erant in familiis optimo cuique vilicorum aequales, et ceteroquin horum parum dissimiles. itaque alios servos in potestate habebant sua, qui arcariorum

⁴²⁹⁾ Goetz-Gundermann (Corp. Gloss. v. II) p. 380.

⁴³⁰⁾ C. I. Gr. 3738=Le Bas-Waddington, voyage en Asie Mineure III 1159 (Apameae Bithyn.):—Caesaris Aug(usti) [s]er(v)us verna dispen[s(ator)] [ad] frum.en.tum—Καίσαρος δούλου οἰκονόμου ἐπὶ τοῦ σείτου—.

⁴³¹⁾ II 1085 (Ilipae, in Baetica): L. Comincio Vipsanio Salutari, domo Romae, p(er)fectissimo v(iro), a cognitionib(us) domini n(ostri) imp(eratoris) L. Septimi Severi Pertinac(is) Aug(usti), proe(uratori) prov(inciac) Baet(icae) — — — Irenacus Aug(usti) n(ostri) ver(na) disp(ensator) portus Ilipensis praeposito sanctissimo. C. VI 8475 (Romae): D(is) M(anibus) T. Flavio Apollonio a libellis f(isci) f(rumentarii) Secundus Caesaris nostri ser(vus) Crescentianus disp(ensator) XX hereditat(ium). (cfr. t. Puteolanus C. X 1586 ad hunc modum fortasse supplendus: Libero patri sacrum Lupercus Augus[torum] libertus [dispens]ator stat[ionis] XX her.). C. III 1997 (Salonis Dalm.): D(is) M(anibus) Thaumasto Aug(usti) (servo) commentarici aurariarum Delmatarum Felicissimus dispesator titulum p(osuit). C. III 563 (Carysti Euboeae): Thamyro Aug(usti) (servo) dis p(ensatori) nutricio optumo — — Hymenaeus Aug(usti) lib(ertus) Mamurianus (cf. Bull. de Corr. Hell. 1883 p. 522 et Dessau Inscr. sel. 1600 c. adn.). C. VI 8853 (Romae): Lysimacho Aug(usti) disp(ensatori) frument(i) mancip(alis) fec(it) Fl(avius) Corinthias. cf. C. V 2156 (Altini, reg. X): [...Aug(usti)] ser(v)o Partheniano despensatori Illyrici.

⁴³²⁾ «Arcarius, οἰκονόμος». — «ὁ ἐπὶ νῆς δημοσίας τραπέζης, arcarius»

vicarii vocabantur ⁴³³). pauci autem sunt, quos quidem norimus ⁴³⁴), dubitandumque est an ibi tantummodo in operis fuerint, ubi societatis arca esset collocata, cum singularum stationum fiscis vilici praeesent. Caesarum familiae ne arcariis quidem omnino caruerunt ⁴³⁵).

Contrascriptorum gradus inferior quam arcariorum fuisse videtur ⁴³⁶). quicumque in titulis nominati inveniuntur, servi sunt, neque inveniuntur nisi in familiis per portorii stationes tabulariaque dispositis cum Caesarum ⁴³⁷) tum publicanorum ⁴³⁸). plures vero non numquam fuerunt in singulis stationibus ⁴³⁹). contrascripsisse exactae pecuniae rationes nomine ipso indice perspiciuntur. assimilari aliqua ex parte possunt Ptolemaeorum ἀντιγραφῆσαι Aegyptiis, qui ad mensas regias eorum, a quibus vectigalia conducta erant, pactiones rationesque contrascribere-

⁴³³) T. 73.

⁴³⁴) Portorii Illyrici arcariorum mentio fit tt. 61. 62. 73.—XXXX Galliarum: t. 41.—quattuor publicorum Africae: t. 104.—vigesimae hereditatum: t. 37 (de hoc veremur ut ad publicanos pertineat).—vigesimae libertatis: tt. 4. 18. 34. 35. (publicanorumne tituli hi sint parum constat; cf. Hirschfeld Verwaltungsab. p. 105 adn. 1).

⁴³⁵) XX hered.: C. VI 8444 (Romae): Dis Manibus M. Maio M. Orat(ae) Fabiano, vix(it) annis VIII diebus XLVI. Maia Procla mater filio dulcissimo et Andragatho coniugi carissimo Caes(aris) ser(vo) arcar(io) XX hereditatum). C. X 6977 (Messanae): Dis Manibus Epitynchani Caes(aris) n(ostri) ser(vi) Candidian(i), qui exiebat in officio Asiae ark(arius) XX hereditatum). C. III 1996 (v. adn. 428). cf. t. 37.

XX libertatis: cf. tt. 4. 18. 34. 35.

Metalla: C. III 3953 (Sisciae, in Pann. sup.): I(ovi) o(ptimo) m(aximo) fulm(inatori) fulguratori) sacr(um). Fl(a vius) Verus Metrobalanus procurator) Aug(usti) n(ostri) praepos(itus) splendidissim(o vel i) vectigali vel igalis) ferr(ariarum) per Asclepiadem ark(arium) stat(ionis) Sisciana(e) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).

⁴³⁶) T. 41.

⁴³⁷) Vectigal Illyrici: C. III 4024 (Poetovione): I(ovi) o(ptimo) m(aximo) pro salute Gongi Nestoriani procuratoris Auggg. nnn. Ianuarius eorundem [s]er(vus) (contra)scriptor v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito). C. III 4155 (Savariae): Herc(uli) Aug(usto)Aug[gg.] nn. ser(vus) (contra)s[cr]iptor] v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito). C. III 5122 (Atrante): Libero patri sacr(um) Abascantus Antoni Rufi (cf. C. III 5117 [adn. 428]) s(ervus) [(contra)?] s[cr]iptor v. (?) t. (?) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito). (cf. Cagnat, les impôts ind. p. 26 adn. 1); cf. tt. 68. 69. maxime 72. 76.

XXXX Galliarum: C. XIII 255: statio splend[idissimi] vectigal(is) XL G[alliarum] Lug(duni) Conv(enarum) sub c[ura... procuratoris] Aug(usti) n(ostri), a Victo[rino (?) Aug(usti)] n(ostri) vern(a) (contra)scriptore?) restituta [q]u[ae] usque ad so[lu]m absumpta fuit...

⁴³⁸) Contrascriptores conductorum portorii Illyrici: tt. 66 (contra)scr(iptor) stationis Boio(durensis). 62. 64. 65. (cf. 68. 69. itemque 72. 76, qui procuratorum esse videntur); quadragesimae Galliarum: t. 41.

⁴³⁹) T. 68.

bant⁴⁴⁰), nisi quod regii hi administri fuerunt atque haud scio an officio functi sint paulo honestiore. quodsi ad horum exemplum instituti sunt, certe ante C. Iulii Caesaris dictaturam nulli fuerunt apud Romanos. quin etiam veremur ne nulli ante fuerint quam vectigalia publica sub procuratorum cura exigi coepta essent.

Eundem fere locum, quo vicarii villicorum stationis Boiodurensis Atrantinae⁴⁴¹) fuerunt, servus quidam publicanorum videtur tenuisse, cuius appellationis litterae primae, quae sunt PR, in lapide incisae reperiuntur, ceterae ita desiderantur, ut illum praepositum stationis cuiusdam portorii Illyrici haud magnae fuisse conicere liceat⁴⁴²). procuratores enim, quos in metallis operas publicanis dare solitos esse constat⁴⁴³), in portorii familiis non inveniuntur. alterius praepositi stationis publicanorum servi haud scio an mentio fiat in titulo quodam Dacico parum emendate tradito⁴⁴⁴); T. Claudius Senillus vero praepositus stationis sive Atrantinae sive Boiodurensis, ni fallor, nominatus in titulo Atrantino⁴⁴⁵) utrum publicanorum an, quod magis crediderim, procuratoris Augusti administer fuerit, dubitari potest: nam in Caesarum quoque familia stationum fuerunt praepositi iique plerumque Augustorum liberti⁴⁴⁶). nimirum qui hoc munere fungebantur, ea erant dignitate, ut qua in statione quisque erat nullum in ea haberet cui pareret.

Iam aliud quoque ab Augusti libertis magnum solebat sustineri

⁴⁴⁰) V. apochas Aegyptias editas a Droyseno in Mus. Rhen. philol. III, 4, 1832 («die gr. Beischriften von fünf aegypt. Papyren zu Berlin»), p. 497 sqq. Kl. Schr. I, 3 sqq.

⁴⁴¹) T. 66.

⁴⁴²) T. 64.

⁴⁴³) T. 114. cf. tt. 91. 93. (Hirschfeld Verwaltungsb.², p. 152, adn. 2.3).

⁴⁴⁴) T. 83.

⁴⁴⁵) T. 66. (cf. Hirschfeld Verw.-Gesch. I. p. 34 adn. 3; Verwaltungsb.² p. 87).

⁴⁴⁶) C. III s. 10301=3327=Eph. II 593 (Intercisae, in Pam. inf.): Deo aeterno pro sal(ute) d(omini) n(ostri) Sev(eri) A[lexandri] P(ii) F(elicis) Aug(usti) et [Iul(iae) Mamme]ae Aug(ustae) m(atris) Aug(usti) vot(um) red(dit) l(ibens) Cosmus pr(ae)positus sta(tionis) Spondilla synagog[ae] m(ater). Hirschfeld Verwaltungsb.² 89, l. C. V 5090 (in valle Athesis sup., reg. X): in h(onorem) d(omus) d(ivinae) sanct(issimae) Dianae aram cum signo Actetus Augg. nn. lib(ertus) p(rae)p(ositus) stat(ionis) Maiensis XXXX Gall(iarum) dedic(avit) Id(ibus) Aug(ustis) Praesente cos. (aut a. 217 aut 246). C. V 7643 (in agro Saluzzensi, reg. IX): numini victoriae Imp(eratoris) Caes(aris) M. Aure[li] Antonini Aug(usti) invicti principis Eulalius libertus p(rae)p(ositus) sta(tionis) huius p(rovinciae) et ur(bis) sacr(ac). C. XIII 5244=Dessau Inscr. Sel. I. 1562 (Turici): D(is) M(anibus). hic situs est L. Ael(ius) Urbicus, qui vixit an(n)o uno m(ensibus) V d(iebus) V. Unio Aug(usti) lib(ertus) p(rae)p(ositus) sta(tionis) Turic(ensis) XL Gall(iarum) et Ael(ia) Secundin(a) p(arentes) dulcissim(o) filio).

munus, quod est actorum⁴⁴⁷). qui ne a publicanorum quidem familia, ut supra diximus, alieni⁴⁴⁸), etsi servi sociorum plerumque erant, ubicumque erant, in exigendis administrandisque vectigalibus quasi ipsius conductoris personam gerebant sic, ut reliquae familiae sine dubio praeessent. nulli praeterea certiore ratione investigari possunt publicanorum administri^{448a}). nam commentarienses⁴⁴⁹) quidem quive a commentariis⁴⁵⁰) erant veremur ne Caesarum familiae quae procuratoribus ad tabularia cum Romae tum in mediis quibusdam non nullarum provinciarum locis collocata apparebat proprii fuerint, librariorum autem memoria titulis duobus ita continetur, ut alter certe ad Caesaris familiam pertineat, alter ambiguus sit⁴⁵¹); tabularii porro eorumque cum principes tum vero adiutores non inveniuntur nisi Augustorum liberti⁴⁵²) iique non

⁴⁴⁷) C. VI 8591 (Romae): Dis Manibu(s) Claudiae Fortunatae coniugi sanctissimae optimae (sic) de se meritae Iucundus Aug(usti) lib(ertus) actor XXXX Gall(iarum).

⁴⁴⁸) Tt. 26. 113 adn. 209.

^{448b}) Nisi quod scrutatores nominantur quidam in titulis duobus C. III 14354²⁷: Theodorus p(ublici) p(ortorii) scrut(ator) stat(ionis) Poet(oviensis). cf. tit. 67; Quintil. declam. 359; Plutarch. de curiositate, C. 7 p. 518; Hirschfeld, Verwaltungsb². p. 87, adn. 1. [M. Rostowzew adnotavit].

⁴⁴⁹) C. II S. 6085=Eph. III 48 (Tarracoe): ...[Aur(elio) Fa]justino Augusto[r]um lib(erto) commentariensi XXXX Gall(iarum), item urbis al[v]ei Tiberis, item provinciae Baeticae, item Alpium Cott(arum); vixit annis XXXXII diebus XXXXI. Statia Felicissima coniugi incomparabili, cum quo vixit annos XXI m(enses) VI d(ies) XXXII. C. III 1997 (Salonis Dabuatae): D(is) M(anibus) Thaumasto Aug(usti) commentariensi aurariarum Delmatarum Felicissimus dispensator titulum p(osuit).

⁴⁵⁰) C. II 4184 (Tarracoe): D(is) M(anibus) Felici Aug(usti) lib(erto) a comment(ariis) XX her(editatium) H(ispaniae) c(iterioris) Hilarus collib(ertus) tabul(arius) XX her(editatium) prov(incia) Lusitaniae.

⁴⁵¹) C. XII 2227 (Gratianopoli): [Aur(elius) P]rimitivus Augustor(um) lib(ertus) ex(?) lib[rari]o stat(ionis) Cularon(fensis) et Quartinia ...con(iunx) pro se et suis d(onum) d(ant). (cf. adn. Hirschfeldii).—t. 44.

⁴⁵²) Vectigal Illyrici.—C. III 4063 (Poetovione):... Restitut[a] Feliciano [A]ug(usti) n(ostri) lib(erto) ex tabulario vect(igalis) Illy[r(ici)] cum Felicissim[o] fil(io) Aug(usti) n(ostri) lib(erto). C. VI 1921 (Romae): Nerito divi Claudii [liberto] principi officii imper... viator[is], appa[ruit] Augusto]. Iuliae Chrysei[di coniugi], Nerito filio divi [Claudii] lib(erto) tabul(ario) vect(igalis) Illyrici Claudiae Montan[ae filiae(?) et] libertis libertab[us]que post(eris)q(ue) eor(um).

XXXX Galliarum.—C. XIII 1817=Dessau Inscr. Sel. I 1563 (Lugduni): D(is) M(anibus) et quieti aeternae Aureliae Munatiae coniugi karissimae et incomparabili, quae vix(it) ann(is) XXIII mens(ibus) V dieb(us) IX Quinctio Aug(usti) lib(ertus) tabularius XXXX Galliarum sub ascia dedicavit. C. XIII 1814 (Lugduni): D(is) M(anibus) [Ael(ii)] Festi Augg. lib(erti) tabul(arii) XL [Gall(iarum)] A[e]lius [Parthē]nopaeus Augg. lib(ertus) p[ro]s[er]vit. C. V 7214 (Fin. Cott.): ...[tabul]ul(arius) XL Gall(iarum) d(onum) d(edit).

nulla auctoritate praediti, quamquam fieri sane potuit, ut etiam publicanorum servi libertive qui tabulas conficere solebant tabularii appellarentur. quid loquar de servis stationariis, qui desunt publicanis, inter Augustorum servos haud sciam an deprehendantur⁴⁵³). quod autem imperatorum aetate tabellariorum mentio fit nulla, certum est attenuata-

XX libertatis.—C. VI 8451 (Romae): Epaphra Aug(usti) l(ibertus) Atticianus tabul(arius) Caesar(is) XX lib(ertatis) cet.

XX hereditatum.—C. VI 594 (Romae): Silvano sacrum. Chresimus Aug(usti) lib(ertus) Secundianus tabula(rius) XX hered(itatium) d(onom) d(at). C. VI 8446 (ib.): D(is) M(anibus) M. Ulpio Cadmo Aug(usti) lib(erto) qui fuit princeps tabularius in statione XX hereditatium cet. C. VI 8447 (ib.): D(is) M(anibus) M. Aurelius Augg. lib(ertus) Hermadio tabul(arius) XX hereditatium cet. C. VI 8448 (ib.): D(is) M(anibus) P. Aelio Aug(usti) l(iberto)... adiut(ori) tabul(ariorum) XX [hereditatium] cet. C. VI 8449 (ib.): D(is) M(anibus) T. Flavio Aug(usti) l(iberto) Ianuario adiutori tabular(ii) XX hereditatium, vix(it) ann(is) XXVI Flavia Erotis patrono idem coniugi bene merentifecit. C. II 3235 (Mentesae Oretanorum in Hisp. Tarrae): Dis Manibus M. Ulpio Aug(usti) lib(erto) Gresiano an(orum) XXXXV tabulario XX hereditatium. item tabulario provinciae Lugudunensis et Aquitanicae, item tabulario provinciae Lusitaniae. h(ic) s(itus) e(st). s(it) t(ibi) t(erra) l(evis). Ulpia Pia coniugi f(aciendum) c(uravit). C. II 4184 (Tarracone): v. adn. 450. C. XI 1222 (Placentiae): D(is) M(anibus) P. Aelio Aug(usti) l(iberto) Prothymo tabul(ario) XX hereditatium Aemil(iae) Liguriae Transpadanae Ulpia Aug(usti) li(berta) Clarina coniunx et Aeli(i) Similis et Prothymus filii patri benemerenti. hic hoc praetorium cum balineo a solo erexit.

Metalla.—C. III 4782 (Viruni, in Norico): Genio Mercuri Augg. lib(erti) tabul(arii) aur(ariarum) Fortunatus lib(ertus). C. III 1297 (Ampeli Daciae): I(ovi) o(ptimo) m(aximo) Neptunalis Aug(usti) lib(ertus) tabul(arius) aur(ariarum) Dacicarum v(oto) b(ene) m(erenti) p(osuit) (cf. C. III 1313). C. VI 301 (Romae): Herculi Aug(usto) sacr(um) ex viso Primigenius imp(eratoris) Caesaris Vespasiani Aug(usti) Iuvencianus tabular(ius) a marmoribus. C. VI 8484 (Romae): o(ssa) t(ua) b(ene) q(ui)escent). T. Flavius Aug(usti) l(ibertus) tabularius marmorum Lunensium v(ixit) a(nnis) XXXVII. h(ic) s(itus) e(st). t(erra) t(ibi) l(evis) s(it) C. VI 8485 (Romae): Dis Manib(us) T. Flavi Felicis. T. Flavius Successus Aug(usti) l(ibertus) tabularius marmorum Lunensium liberto karissimo annos vixit X mensibus VII diebus XXIII C. XIII 1808 cf. 1727 (Lugduni):—Appianus Aug(usti) lib(ertus) tabularius ration(is) ferrar(iarum). C. XII 1825 = Dessau Inscr. Sel. 1596 (Lugduni): D(is) M(anibus) Valeriae Iulianae, quae vixit annis VIII et Aureliae Pompeiae quae vixit annis XV, filiab(us) dulcissim(is), Aurel(ius) Calocaerus Aug(usti) lib(ertus) tab(ularius) ferrar(iarum) p(onendum) c(uravit) et sub ascia dedicavit.

⁴⁵³ C. III S. 10308 (Intercisae): [...d]eo Soli Au[g(usto)]... limus stat[ionarius(?) p]ub(lici) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito); [A]limus stat(ionis) [p]ub(lici) interpretatur Patsch, Mitth. d. r. Inst. VIII p. 194.—cf. C. II 2011 (Nescaniae in Baetica):—item servis stationariis singulis X (denarios) singulos dedicavit (fortasse intellegendi sunt servi stationarii vicesimae hereditatium). C. VI 8592 (adn. 457).

rum societatum signum⁴⁵⁴). atque ea quidem ministrorum genera, quae praecipui officii appellatione distincta videmus commemoravimus⁴⁵⁵); plurimi vero cum sociorum⁴⁵⁶) tum Caesarum⁴⁵⁷) servi vel etiam liberti vectigalibus administrandis operam ita navabant, ut illis ministris apparerent, ipsi praecipuo munere nullo fungerentur.

Certus erat in publicanorum familiis constitutus curationum officiorum-que suscipiendorum ordo atque cursus, quem sequentes qui sociis operas dabant ab inferiore profecti loco ad meliorem condicionem gradatim producerentur. itaque pro meritis illi et ex minoribus vectigalium stationibus traducebantur in celebriores, et ab humili ordine ad altiores gradus provehebantur. qui igitur in extremis alicuius regionis finibus in operis erant, huius in caput arcessebantur, veluti Pudens quidam sociorum quadragessimae Galliarum servus, qui, postquam contrascriptor fuit in Alpibus

⁴⁵⁴) Tabellarii Augustorum servi libertique in statione urbana vicesimae hereditatum (C. VI 8445: D(is) M(anibus) M. Aur(elius) Aug(usti) lib(ertus) Alexander p(rae)p(ositus) tabel(lariorum) st(ationis) XX hereditatium) cet.) itemque marmorum (C. VI 410:—optio tabellariorum stationis marmorum—).

⁴⁵⁵) Incerti officii libertus Augusti in quadragesima Galliarum administranda occupatus nominatus est titulo C. V 7209 (fin. Cott.): [I(o vi)] o(ptimo) m(aximo) [T. Fl]avius [Aug(usti)] l(ibertus) Alypus... XL Galic(ae?) et [Fla]via Aug(usti) l(iberta) [Sosa?]ndria [l(ibertes)] m(erito).—subprocurator XX; C. II 487 (Emeritae): D(is) M(anibus) s(acrum). Aleiae Agrippinae coniugiraris-simae etsanctissimae, vixit ann(is) XXV Hypatius Augustor(um) lib(ertus) subprocurator XX bene merenti fecit.—subprocurator aurariarum Daciae: C. III 1088 (Apuli): I(o vi) o(ptimo) m(aximo) Taviano et dis deabusque pro salute [et] victoria domini n(ostri) sanctiss[im]i Avianus(?) Aug(usti) lib(ertus) subprocurator auraria[rum] v. s. a. [l.].

⁴⁵⁶) Portoria: tt. 14. 15. 86. 98 105. cf. t. 75; XXXX Gall.: tt. 39. 42. 45. 46.

XX libertatis: tt. 1. 22; accedunt minus certi: 2. («veterum pactionum»). 3. 17. 18. 95. XX hereditatum: tt. 29. 36 (hi potius ad procuratores pertinent).

Pascua, salinae, commercia: tt. 38. 89.

Metalla: tt. 51 (nisi forte ad Caesaris familiam pertinet). fortasse 57.

Vectigalia incerta: t. 25. cf. 108.

Notabilis est «salarium sociorum servus» t. 30.

⁴⁵⁷) C. VIII S. 12656—Eph. V 408 (in territorio Carthaginiensi): Flavia Aug(usti) lib(erta) Successa. Princeps Aug(usti) ser(vus) IIII p(ublicorum) A(fr)icae coniugi dulcissimae de suo fecit piae; vixit annis XXXXV. h(ic) s(ita) c(st). C. VI 8592 (Romae): Dis Man(ibus) Pedia Epictesis Placido Caesaris in statione XXXX Galliarum fecit et sibi et suis libertis libertabusque posterisque eorum (cf. 8593). C. XII 684 (in agro Arelatensi orientali): Dis M(anibus) Antiochus... Caesar(is) XXXX [Gall(iarum)] Haladi [con]t[ub]ernali [pien]tissimae [fecit].—C. VI 8483 (Romae): Dis Mani(bus) M. Ulpio Martiali Aug(usti) lib(erto) a marmoribus. C. VI 8486 (ib.): Hymenaeus Caesaris ser(vus) Thamyrianus alapidinis Carystii cet. (eiusdem sunt tt. C. III 563; Bull. de Corr. Hell. 1889 p. 522; Dessau Inscr. Sel. 1600; Hirschfeld Verwaltungsb.,³ p. 160, adn. 2).—cf. adn. 60.

Cottiiis, arcarii munus Luguduni suscepit ⁴⁵⁸), ac, ni fallor, Fructus Q. Sabini Verani conductoris publici portorii Illyrici servus vilicus, ex statione Balneorum Romanorum evocatus Poetovionem ⁴⁵⁹). munerum autem sustinendorum ordinem, quantum e titulis didicimus, hunc fuisse apparet, ut optimus quisque publicanorum minister, postquam vilici vicarius fuit ⁴⁶⁰) vel etiam parvae alicuius stationis dubito an praepositus ⁴⁶¹), contrascriptor fieri soleret, hoc autem officio perfunctus vel in arcarii locum succederet ⁴⁶²). simili modo Caesarum quoque servi libertique in vectigalibus administrandis occupati a minus honestis ministeriis ad ampliores procuraciones pedetemptim promovebantur ⁴⁶³).

XI.

De exigendorum per publicanos vectigalium ratione modoque hoc capite pauca disputaturi sumus. atque portorii quidem exactiones quem ad modum per eas familias, quas in portibus ac custodiis socii habebant ⁴⁶⁴), fieri solitae sint ⁴⁶⁵) quaeque ratio mercium profitenda-

⁴⁵⁸) T. 41. cf. Cagnat les imp. ind. pp. 66 sq.; 96.

⁴⁵⁹) Tt. 70. 74.

⁴⁶⁰) T. 66 (cf. adn. Mommseni in ind. C. III ad h. t.).

⁴⁶¹) T. 64.

⁴⁶²) T. 41.

⁴⁶³) C. III 7853=1351 (adn. 32). C. V 5090 (v. adu. 50) cum adn. Mommseni. cf. C. X⁶ 6977 (v. adn. 39) cum adn. Mommseni in Corp. Ind. p. 1124.

⁴⁶⁴) Cic. de imp. Pomp. 6, 16.

⁴⁶⁵) De qua re non nulla comperimus e Philostrati quadam narratiuncula de Apollonio Tyanensi (v. Ap. I 20), quae est haec fere: παρόντας δὲ αὐτοὺς ἐς τὴν μέσην τῶν ποταμῶν ὁ τελώνης ὁ ἐπιβεβλημένος τῷ Ζεύγματι πρὸς τὸ πινάκιον (hoc est, ad tabulam, in qua inscripta erat lex portus; cf. C. VIII 4508, Dig. 50, 16, 23, decret. Palmyr. v. 9 sqq.) ἦγε καὶ ἡρώτα ὅ,τι ἀπάγοισιν· ὁ δὲ Ἀπολλώνιος «ἀπάγω» ἔφη «σωφροσύνην, δικαιοσύνην, ἀρετὴν» κτλ.—ὁ δ' ἦδη βλέπων τὸ ἑαυτοῦ κέρδος «ἀπόγραψαι οὖν» ἔφη «τὰς δούλας» κτλ. merces igitur, cum eas qui importabant exportabantve profitebantur apud publicanos, in publicanorum tabulas inscribebantur (id quod etiam aliunde cognitum habemus, cf. adn. 3).—portorii Ostiensis exactionem effectam Romae offendi in ectypo quodam marmoreo non arte illo quidem aut elegantia, at argumento insigni, quod ectypum Ostiae reperit in principis Torloniae museo Transiberino (cf. Visconti Catalogo del Museo Torlonia di sculture antiche, R. 1883, n. 428, p. 221). ficta igitur est navis appulsa, ex qua servi baiulive vini, ut opinor, amphoras in litus efferunt, mensaque in litore sita, cui in sella assidens sive vilicus portus sive tabularius mercium importatarum rationem refert in codicem magnum adstante alio publicanorum videlicet servo eoque haud scio an dictante aliquid digitisque computante, tertio denique publicanorum ministro sacculum, ni fallor, nummis plenum e manu accipiente eius, qui amphorae onere humeris imposito e ponticulo navi accommodato egreditur in terram; post mensam cernitur porta magna ornataque sive emporii, ut equidem putarim, sive horreorum vinariorum, ut opinatur Viscontius.

rum⁴⁶⁶) aestimandarum⁴⁶⁷), scrutandarum⁴⁶⁸) committendarum⁴⁶⁹) fuerit, non est fere quod explicemus, praesertim cum et alii eam rem luculente tractarint⁴⁷⁰) nec multa de hoc genere tradita sint, quae quidem ad liberae rei publicae aetatem pertineant; nisi quod illud monendum esse videtur, quod ait Cicero in omnibus omnium praeter Siciliam provinciarum vectigalibus pigneratorem esse publicanum⁴⁷¹), id etiam in portus socios valuisse necesse esse, ut his quoque pignoris capio adversus eos, qui lege portus vectigal deberent, data esse intellegatur⁴⁷²). in decumis vero et scriptura quamquam et professionum⁴⁷³) commissorumque⁴⁷⁴) ratio eadem idemque pignerandi ius atque in portorio valuerunt neque aliae earum, quae in agris et saltibus⁴⁷⁵), quam quae in portibus collocatae erant, familiarum descriptio institutioque fuerunt, hoc tamen exactionum proprium est, quod eas pactionibus, quamvis ne a portitorum quidem usu prorsus alienis⁴⁷⁶), omni ex parte niti solitas esse videmus, quas paction-

⁴⁶⁶) Lucil. sat. 27, 20 (v. 627 Lachm.): facit idem, quod illi, qui inscriptum e portu exportant elanculum, || ne portorium dent. Quint. decl. 341 59. C. III 781 v. 22 (ep. Sev. et Car. ad Tyranos). Dig. 39, 4, 16, 1. 3. 6. 9. 12. C. Iust. 4, 61, 3. cf. Verr. II 70, 171; 74, 182 sq. (ubi agitur de libellis Canuleianis mercium exportatarum e portu Syracusis).

⁴⁶⁷) Quint. decl. 341.

⁴⁶⁸) Plaut. Trin. III, 3. v. 793 sqq.: iam si óbsignatas (sc. epistulas) nó n feret, dici hóc potest, || apud pórtitores eas resignatas sibi || inspéctasque esse. Cic. in Vat. 5, 12: in eo negotio cum tenon custodem ad continendas, sed portitorem ad partiendas mercis missum putares cumque omnium domos, apothecas, navis furacissime scrutarere hominesque negotii gerentis iudiciis iniquissimis inretires, mercatores e navi egredientis terreres, conscendentis morarere cet.; de l. agr. II, 23, 61: est iniquum—hos XV viros portitores omnibus omnium pecuniis constitui, quietiam imperatores nostros excutiant. Quint. decl. 359. Plut. mor. 518E (de curios. 7). [cf. adn. 448^b].

⁴⁶⁹) Cic. in Vat. l. l.: ad partiendas mercis. Quint. decl. 341. Dig. 4, 4, 9, 5; 39, 4, 7, 1; 39, 4, 8 pr.; 39, 4, 11, 2. 4; 39, 4, 14; 39, 4, 16. C. Iust. 4, 61, 1. 2. 3.

⁴⁷⁰) Cagnat, sur les impôts indir. p. 128 sqq; Vigié, des douanes de l'empire Rom., P. 1884, passim.

⁴⁷¹) Verr. III, 11, 27.

⁴⁷²) Huc fortasse spectat fragmentum tituli cuiusdam Pergameni aetatis impertoriae satis mutilum, quod benigne mecum communicavit vir illustrissimus Max Fraenkel; ubi cum alia evanida tum haec leguntur: καὶ οἷς ἂν ἀλλ... τελώναις... σθαὶ αὐτοὺς τὴν ἐνε[χρ]ο[ρασίαν]... αἰς ἀγοραίοις πιπρασκομένον... ὡς διδοσθαὶ τέλος, ἀλλ' ἐὰν κτλ. qui titulus, si modo publici portorii legis reliquias continet, haud parvi momenti est ad cognoscendum, qua aetate publicanorum ius pignora capiendi obsoleverit (Gai. IV, 32). verum tamen maxime propter mentionem factam ἀγοραίων (cf. Boeckh Staatshaushalt. d. Ath. I p. 382) dubitamus an, sicut decretum illud Palmyrenum (Bull. de Corr. Hell. 1882 p. 439=Herm. XIX p. 501), ad civitatis propria potius quam ad publica populi Romani vectigalia pertineat.

⁴⁷³) Verr. III, 15, 38. Varr. de r. r. II, 1, 16.

⁴⁷⁴) Verr. III, 21, 54. Varr. l. l. cf. Plaut. Truc. I, 2, v. 144.

⁴⁷⁵) Cic. de imp. Pomp. l. l. (adn. 1).

⁴⁷⁶) Dig. 39, 4, 16, 2.

ñes publicani partim cum privatis conficiebant partim cum civitatibus. de qua re quod ita viri docti iudicarunt, ut negarent illas in Sicilia quidem aut cum civitatibus unquam factas esse, nisi ut hae lucro dato decumanis decumas publice acciperent exigendique negotio omnino liberarent publicanum, aut cum privatis nisi quotienscumque civitatis pactione deficeret ⁴⁷⁷), definitis Ciceronis verbis, ut nobis quidem videtur, refellitur: testatur enim et privatas pactiones et publicas in iisdem civitatibus simul esse confectas ⁴⁷⁸).

Quae cum ita sint, ut aliorum decumanorum rationem paulisper mittamus, Siculos certe perspicimus exigendi initium capere consuesse a paciscendo cum civitatibus, idque sic, ut aut decumas iis venderent publice exigendas, quo facto lucrum habebant, curam molestiamque exigendi non habebant ⁴⁷⁹), aut quot modii frumenti pro singulis iugeris ab aratoribus decumarum nomine deberentur deciderent ⁴⁸⁰), ne tum quidem sine lucello abire soliti, quod sibi civitates publice dare cogebant ⁴⁸¹). ad quas pactiones conficiendas decumani cum in civitates venerant, simul cum magistratibus frumenti copiam, de qua convenerat, distribuebant singulis aratoribus, quippe qui Verre quidem praetore non modo nomina, sed sationum quoque iugera iam ante venditas decumas apud suae quisque civitatis magistratus profiteri consuescent ⁴⁸²); quos postea adeundo decumani tot sibi frumenti modios dare iuebant, de quot modiiis cum magistratibus deciderant. statuendum igitur est decumanos, quaecumque postularent, ex pactionibus postulare oportuisse quas cum civitatibus confecissent, sive hoc ipsae exactionum onus suscepissent, sive decumanis aratores attribuissent. quod si tenebimus, Verris edicta, quidnam sibi velint, facile intellegemus. nam quod edixit, quantum decumanus edidisset aratorem sibi decumae dare oportere, ut tantum arator decumano dare cogereetur ⁴⁸³), plane non est quod per se ipsum cum iure aut aequitate pugnet, si modo quid

⁴⁷⁷) Degenkolb, die lex Hieronica (Berol. 1861) p. 43 sq.

⁴⁷⁸) Verr. III, 44, 105 sq., 45, 107: ita te non modo publicis tenebo, sed etiam privatis aratorum pactionibus ac litteris. cf. 46, 109: ratio certa est Aetnensium et publicis et privatis litteris consignata.

⁴⁷⁹) Verr. III, 27 sqq.

⁴⁸⁰) Hoc intellegimus ex pactione aratorum Centuripinorum agri Leontini, qui, cum proprios magistratus nullos haberent, convenisse tamen unum in locum hominemque quendam suae civitatis ad Apronium decumanum legasse, qui peteret ut in iugera singula ternis medimnis decidere liceret, traduntur (Verr. III, 48, 114).

⁴⁸¹) Verr. III, 45, 106.

⁴⁸²) Verr. III, 47, 113. Degenkolb p. 42.

⁴⁸³) Verr. III, 10, 25.

singuli aratores dare deberent iam pridem inter civitatis magistratus et decumanum convenerat; quodsi hic nimium postularat, octupli damnabatur. neque vero, quod edixit, ut, quod decumanus edidisset sibi dari oportere, id ab aratore magistratus Siculus exigeret⁴⁸⁴), aut omnino potest intellegi, nisi sumptum sit secundum publicam pactionem privatas exactiones faciendas fuisse, aut hoc sumpto mirum cuiquam videri, quando quidem a civitatis magistratibus arator quasi attributus invenitur fuisse decumano. non enim tantum tribuimus integritati accusatoris, ut, cum edicta illa ne speciem quidem iuris aut aequitatis habuisse contendit, nosmet in eadem verba iuremus⁴⁸⁵). iam ne id quidem sine publica pactione fieri potuisse existimamus, ut numerorum accessiones a singulis aratoribus pro rata parte certa ratione exprimerentur⁴⁸⁶). quid si cum civitatibus pacisci decumanum utique necesse fuisse ipsius ratio rei in incerta messis spe positae declarat? nam nisi publica pactio facta esset, provideri non potuit, ut singulorum decumae aequaliter aestimarentur exigerenturque.

Verum et de decumis Siciliae satis dictum est, nec de scriptura, quem ad modum a Siculis exigi solita sit, aut praecipue quicquam traditum est, aut scire interest, quia Siciliensium ratio scripturariorum ab eorum, qui alibi id vectigal exercebant, publicanorum ratione vix fuit diversa. de ceteris autem provinciis iam illud sane certum est, in omnibus earum vectigalibus petitores fuisse publicanos aut pigneratores, hoc est, eo iure fuisse, ut, quotienscumque praesens a privatis persolvi vectigal minus poterat, aut adscriptis usuris de eo vectigali paciscerentur pactaque iudiciis persequerentur, aut pignerarentur. sed ne ita quidem privatos ante excuti solitos esse perspicuum est, quam publicanorum pactiones cum civitatibus essent confectae. hoc enim illos omnium primum curasse videmus, ut cum civitatibus deciderent; quod ut efficerent, publice adibant populorum magistratus⁴⁸⁷), cumque per se efficere non potuerant, vel per magistratus populi Romani eos ad ipsorum condiciones adducere conabantur⁴⁸⁸). ac saepius quidem ita cum civitatibus transigebant, ut hae, sicut in Sicilia, sive decumas sive scripturam sive alia agebantur vectigalia, lucro dato iis, qui conducta habebant, pu-

⁴⁸⁴) Verr. III, 13, 34.

⁴⁸⁵) Edicendo quidem Verrem nihil contra ius fecisse videri libro illo, quem de lege Hieronica scripsit, probe docuit Degenkolbius.

⁴⁸⁶) Verr. III, 50, 118.

⁴⁸⁷) Memnon. 38, 2 (v. cap. XII § 9). quo loco verba quae sunt: *παρὰ τὰ ἔθνη τῆς πολιτείας*, iungenda sunt cum participio priore, quod est *ἀφικόμενοι* (cf. Cic. ad Q. fr. I, 1, 12, 33); quam sententiam Muellerus obscuravit interpungendo.

⁴⁸⁸) Cic. ad fam. XIII, 65 (cf. adn. 132).

bluce acciperent⁴⁸⁹); neque tamen negari possunt etiam alio pactionum genere usi esse. quid si omnium Ciliciae civitatum pactiones factas esse Cicero gaudet⁴⁹⁰)? an universas sese ad vectigalia publice exigenda applicasse gaudet, vacare posse odioso muneri publicanum? immo sublata discordiarum molestiarumque materia ad certas publicarum pactionum normas directas exactiones esse laetatur. veri simile igitur est publicanos, priusquam e privatorum quaestu praedarentur, cum magistratibus civitatum publice decidere consuesse cum de frumenti modiorum numero nomine decumarum deque pecudum numero scripturae nomine a singulis aratoribus pecuariisve exigendo, tum vero de accessione pecuniae sive publice solvenda sive privatis aequaliter distribuenda; quae res cum agebatur, certe temporum vicissitudinis agrorumque colendorum aut rei pecuariae varii eventus variaequae venditorum publicorum condicionis ratio habebatur.

Persequendae autem erant publicanis non modo eius lustrī, quod agebatur, verum etiam superioris temporis pactiones⁴⁹¹); deberi enim patiebantur vectigalia, quo maiorem haberent fenerandi facultatem⁴⁹²).

⁴⁸⁹) Cf. Cic. ad Att. VI, 2, 5: mira erant in civitatibus ipsorum furta Graecorum, quae magistratus fecerant: quaesivi ipse de iis, qui annis decem proximis magistratum gesserant; aperte fatebantur. itaque sine ulla ignominia suis umeris pecunias populis rettulerunt; populi autem nullo gemitu publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil solverant, etiam superioris lustrī (reliqua) reddiderunt. itaque publicanis in oculis sumus. App. b. c. II, 92: Καῖσαρ—ἐχρημάτισε ταῖς πόλεσιν ἐνοχλουμέναις ὑπὸ τῶν μισθουμένων τοῦς φόρους.

⁴⁹⁰) Cic. ad Att. V, 13, 1: omnibus satis faciemus, et eo facilius, quod in nostra provincia confectae sunt pactiones. V, 14, 1: interea haec mihi, quae vellem, afferebantur: primum, otium Parthicum, deinde confectae pactiones publicanorum.—nec dubitari potest quin aut allatis locis de civitatum agatur, non de privatorum pactionibus, aut hoc loco, qui est ep. ad Q. fr. I, 1, 12, 35: quod si genus ipsum et nomen publicani non iniquo animo sustinebant (sc. Graeci; hoc est, Asiae populi), poterunt iis consilio et prudentia tua reliqua videri mitiora. possunt in pactionibus faciendis non legem spectare censoriam (parum ita videlicet lucelli abstulissent publicani), sed potius commoditatem conficiendi negotii et liberationem molestiae. (cf. adn. 489).

⁴⁹¹) Cic. ad Att. VI, 2, 5 (adn. 489).

⁴⁹²) Cic. ad Att. VI, 1, 16: τὸ παραδοξότατον, usuras eorum, quas pactionibus adscripserant, servavit etiam Servilius. ego sic: diem statuo satis laxam, quam ante si solverint, dico me centesimas ducturum; si non solverint, ex pactione. ib. 15: de Bibuli edicto nihil novi praeter illam exceptionem, de qua tu ad me scripseras «nimis gravi praeiudicio in ordinem nostrum». ego tamen habeo ἰσοδοξαμοῦσαν, sed tectiorem ex Q. Mucii P. f. edicto Asiatico; «extra quam si ita negotium gestum sit, ut eo stari non oporteat ex fide bona».—duobus generibus edicendum putavi, quorum unum est provinciale, in quo est de rationibus civitatum, de aere alieno, de usura, de syngraphis, in eodem omnia de publicanis.—cf. adn. 370.

quae res aliquantum illustrata est titulis duobus ad publicum vicesimae libertatis pertinentibus⁴⁹³), quorum in altero mentio fit servi cuiusdam illius publici veterum pactionum, qui scilicet, ni fallit opinio, pecuniae e superioribus pactionibus debitae exigendae praefuit⁴⁹⁴), alter positus invenitur socis vicesumaris nonis (lege: novis) et veteribus, iisdem scilicet, quos Livius veteres publicanos appellare solet⁴⁹⁵), superiorum dico conductionum sociis, unde intellegi potest saepe publicanos, etiamsi ab exercendo vectigali decessissent, ab exigendi negotio prorsus decedere non potuisse.

Ac profligatam iam habemus quaestionem nostram, nisi quod hoc restat ut commemoremus, cum omnino in publicis exigendis publica auctoritate niterentur publicani, id quod, ut societatis iura praecipua omittam, ex pignorum capiendorum iure maxime apparet⁴⁹⁶), tum eos magistratuum publicorum auxilium vel ita sibi non numquam adiunxisse, ut apparitoribus publice assignatis quasi satellitibus custodibusque uterentur⁴⁹⁷) ad continendos impetus infestorum⁴⁹⁸) metumque iniciendum; quamquam interdum tantum abfuit ut praecipuum illis magistratuum publicorum ferretur auxilium, ut ne ius quidem suum apud eos recte persequi possent⁴⁹⁹).

XII.

Iam quod extremum nobis de prioris aevi publicanis quaerendum proposuimus, quaenam societates usque ad divi Augusti principatum cum in Italia fuissent tum in provinciis quaeque vectigalia exercuissent, hoc capite persequemur ita, ut, quarum quidem in illius aetatis historiis ac monumentis factam videamus mentionem, cum descriptas regionatim tum generatim digestas per genera publicorum enumeremus, non immemores illi quidem sexcentarum societatum prorsus ignotarum, minus tamen deficientis memoriae complendae cupidi augurando, quam id demum enixi, ut quae in medio sita sunt quaeque nominatim ad publicanos pertinent testimonia

⁴⁹³) Tit. 2. 23.

⁴⁹⁴) Mommsen ad C. VI 8452.

⁴⁹⁵) Liv. XXXIX, 44, 8.

⁴⁹⁶) Mommsen St. R. I p. 161.

⁴⁹⁷) Verr. III, 25, 61; 26, 65; 27, 67.

⁴⁹⁸) Memn. l. 1. (adn. 487).

⁴⁹⁹) Cic. de prov. cons. 5, 10 sqq.

colligamus, satis magnam horum rati superesse copiam, unde et societatium plurimarum fata, quaenam fuerint, cognoscantur, et universae publicanorum rei ac dominationis per totum terrarum orbem dilatatae capi possit coniectura. a domesticis igitur populi Romani publicanis ordiamur.

§ 1.

Italiae publicanorum in veteribus memoriis mentio nulla fit ante a. U. 570⁵⁰⁰). auctus eorum numerus est a. 575, multis portoriis vectigalibusque institutis⁵⁰¹). aetate Polybiana adeo multitudo crevit, ut ne publica quidem ab illis conduci solita facile quisquam enumerare posse videretur Polybio⁵⁰²). Sempronius legibus latis propter agri publici divisionem minuuntur in Italia publicanorum opes, augentur in provinciis⁵⁰³). Verrem dum accusat, laudat etiam tum Italicos Cicero publicanos⁵⁰⁴); a. 694, sublatis Caecilia lege Italiae portoriis, agro Campano diviso, nullum vectigal superesse queritur domesticum praeter vicesimam⁵⁰⁵). quamquam nec metallorum, nec salinarum, nec piscatus, nec pascuorum, velut Samnii atque Apuliae publicorum⁵⁰⁶), vectigalia unquam locari desita esse videntur, et peregrinarum mercium portoria instituta sunt a Caesare dictatore⁵⁰⁷).—fruenta conducere consuesse inveniuntur Italiae publicani agri publici vectigalia quae ab aratoribus pensitabantur⁵⁰⁸),

⁵⁰⁰) Adn. 65.

⁵⁰¹) Liv. XXXX, 51, 8.

⁵⁰²) Pol. VI, 17, 2: πολλῶν—ἔργων ὄντων τῶν ἐκδιδομένων ὑπὸ τῶν τιμητῶν διὰ πάσης Ἰταλίας εἰς τὰς ἐπισκευὰς καὶ κατασκευὰς τῶν δημοσίων, ἃ τις οὐκ ἂν ἐξαρτιθῆσαιτο ῥαδίως, πολλῶν δὲ ποταμῶν, λιμένων, κηπίων, μετάλλων, χώρας, συλλήβδην ὅσα πέπτωκεν ὑπὸ τὴν Ῥωμαίων δυναστείαν, πάντα χειρίζεσθαι συμβαίνει: τὰ προειρημένα διὰ τοῦ πλήθους.

⁵⁰³) Cf. Diod. fr. XXXIV—XXXV, 48: Γράχως—τῇ μὲν τῶν δημοσιωνῶν τόλμη καὶ πλεονεξία τὰς ἐπαρχίας ἀπορρίψας ἐπεσπασατο παρὰ τῶν ὑποταττομένων δίκαιον μῖσος κατὰ τῆς ἡγεμονίας.

⁵⁰⁴) Verr. III, 11, 27: cum omnibus in aliis vectigalibus, Asiae, Macedoniae, Hispaniae, Galliae, Africae, Sardiniae, ipsius Italiae quae vectigalia sunt, cum in his, inquam, omnibus publicanus petitor aut (sic Lagom. 42, vulgo ac; cf. Degenkolb die lex Hier. p. 52) pignerator, non ereptor neque possessor soleat esse, tu—de aratoribus ea iura constituebas, quae omnibus aliis essent contraria. cf. Varr. de r. r. I, 21: offendi ibi Fundanum socerum meum et C. Agrium equitem R. et P. Agrasium publicanum spectantes in pariete pictam Italiam.

⁵⁰⁵) Cic. ad Att. II, 16, 1.

⁵⁰⁶) Mommsen hist. R. III p. 539 (ed. 7).

⁵⁰⁷) Suet. Caes. 43.

⁵⁰⁸) L. agr. v. 19, 20.

pascuorum publicorum ⁵⁰⁹) atque agri compascui ⁵¹⁰) scripturas, silvae Silae picarias publicas ⁵¹¹), salinas Ostienses ⁵¹²), flumina ⁵¹³) atque lacus, in primis Avernum et Lucrinum ⁵¹⁴), metalla quaedam, velut ea, quae in Vercellensi ⁵¹⁵) et Aquileiensi ⁵¹⁶) agro Galliae Cisalpinae erant itemque in finibus Salassorum ⁵¹⁷), vias publicas ⁵¹⁸), agrum publicum ⁵¹⁹), portoria publica ⁵²⁰), ut Aquileiense, Brundisinum, Campanum, Castrum, Puteolanum, Tergestinum ⁵²¹).

⁵⁰⁹) L. agr. v. 25 (cf. Mommsen C. I p. 93). 19. Varr. de r. r. II, 1, 16: greges ovium longe abiguntur ex Apulia in Samnium aestivatum, atque ad publicanum profitentur, ne, si in scriptum pecus paverint, lege censoria committant.—muli e Rosea campestri aetate exiguntur in Burbures altos montes cct. cf. tit. 112.

⁵¹⁰) L. agr. v. 14 sq.

⁵¹¹) Cic. Brut. 22, 85: memoria teneo Smyrnae me ex P. Rutilio Rufo audisse, cum diceret,—cum in silva Sila facta caedes esset notique homines interfecti insimulareturque familia, partim etiam liberi, societatis eius, quae picarias de P. Cornelio L. Mummiio censoribus (a. 612) redemisset, decrevisse senatum (a. 616), ut de ea recognoscerent et statuerent consules. Dionys. Hal. XX, 15: ἡ δὲ πλείστη καὶ πιστάτη πιττοουργείται (sc. ἐλάτη) καὶ παρέχει πασῶν ὧν ἴσμεν ἡμεῖς εὐωδესτάτην καὶ γλυκοτάτην τὴν καλουμένην Βρεττιαν πιτταν, ἀπ' ἧς μεγάλας ὁ τῶν Ῥωμαίων δῆμος καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐκ τῶν μισθώσεων λαμβάνει προσόδους.

⁵¹²) C. XIV p. 3. cf. t. 112.

⁵¹³) Polyb. I. I.

⁵¹⁴) Serv. in Georg. II, 161: lacus sunt duo, Avernus et Lucrinus, qui olim propter copiam piscium vectigalia magna praestabant. sed cum maris impetus plerumque irrumpens exinde pisces excluderet et redemptores gravia damna paterentur, supplicaverunt senatui et profectus C. Iulius Caesar ductis bracchiis exclusit partem maris cct. Fest. p. 121: lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur fruendus ominis boni gratia. Val. Max. IX, 1, 1: (C. Sergius Orata) aedificiis etiam spatiosis et excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressit, quo recentiore usu conchyliorum frueretur; ibi dum se publicae aquae cupidius immergit, cum Considio publicano iudicium nactus est, in quo L. Crassus adversus illum causam agens errare amicum suum Considium dixit cct.

⁵¹⁵) Plin. n. h. XXXIII, 4, 78: Italiae parci vetere interdicto patrum diximus, alioqui nulla fecundior metallorum quoque erat tellus. exstat lex censoria Victumularum aurifodinae in Vercellensi agro, qua cavebatur ne plus quinque milia hominum in opere publicani haberent.

⁵¹⁶) Pol. XXXIX, 10=Strab. IV, 6, 12, p. 208.

⁵¹⁷) Strab. IV, 6, 7, p. 205: κρατησάντων δὲ Ῥωμαίων τῶν μὲν χρυσοργείων ἐξέπεσον καὶ τῆς χώρας οἱ Σαλασσοί, τὰ δ' ὄρη κατέγοντες ἀκμὴν τὸ ὕδωρ ἐπέωλον τοῖς δημοσιῶνας τοῖς ἐργολαβήσασιν τὰ χρυσεῖα καὶ πρὸς τοὺτους δ' ἦσαν αἰεὶ διαφοραὶ διὰ τὴν πλεονεξίαν τῶν δημοσιωνῶν.

⁵¹⁸) L. agr. v. 26.

⁵¹⁹) Polyb. I. I.; cf. Cic. de l. agr. II, 14, 36. Liv. XXVII, 3, 11.

⁵²⁰) Polyb. I. I. Cic. ad Q. fr. I, 1, 11, 33: nuper in portoriis Italiae colendis non tam de portorio, quam de non nullis iniuriis portitorum (cives) querebantur. adn. 501.

⁵²¹) Cic. pro Font. I, 2: nam ceterum publicanis qui Africam, qui Aquile-

§ 2.

Siciliae vectigalia ante a. 544 locata videntur esse nulla⁵²²); portoria certe ante Rupiliam legem datam (a. 623) a publicanis exerceri coepta esse eo apparet, quod ipse Rupilius, priusquam ad honores publicos ascenderet, in Siciliae portu operas publicanis dedisse fertur⁵²³). conducta de censoribus habuisse reperiuntur Siciliae publicani primum scripturam⁵²⁴), deinde portum⁵²⁵), veluti vicesimam portus Syracusani itemque portoria Agrigentinum, Lilybaetanum, Panhormitanum, Thermitanum, Halaesinum, Catinense, Messanae urbis ceterorumque oppidorum⁵²⁶), decumas denique cum vini et olei et frugum minutarum haud scio an universas⁵²⁷), tum frumenti eas, quas qui agrum publicum, velut Leontinae

leiense por[torium...]. Liv. XXXII, 7 (a. 555): censores P. Cornelius Scipio Africanus et P. Aelius Paetus—portoria venalicium Capuae Puteolisque, item Castrum portorium, quo in loco nunc oppidum est, frumentum locarunt. (cf. Cic. pro Rab. Post. 14, 40; in Vat. 5, 12; Senec. epist. 77). App. b. c. I, 79. tit. 14.

⁵²²) Occupata primum Sicilia a. 513 Romanos nullas etiam tum constituisse publicorum locationes colligimus ex Appiani (Σικ. II 5) verbis quae sunt: Σικελίας δὲ οὕτω τοῦ πλέονος Ῥωμαῖοι κατέσχον, ὅσου Καρχεδόνιοι κατεῖχον, φόρους δὲ αὐτοῖς ἐπέθεσαν καὶ τέλη τὰ θαλάσσια ταῖς πόλεσι μερισάμενοι στρατηγὸν ἐτήσιον ἔπεμπον εἰς Σικελίαν. ab eo igitur anno illas repetimus, quo anno Sicilia provincia ordinata est a M. Valerio Laevino (Marquardt St.-Verw I p. 243; cf. Verr. III, 6).

⁵²³) Val. Max. VI, 9, 8. Ps.-Asc. in act. I in Verr. Or. p. 212.

⁵²⁴) Verr. II 70, 169: in scriptura Siciliae pro magistro est quidam L. Carpinatius. II, 70, 171: portum autem et scripturam eadem societas habebat: II, 71, 167. (Vettius) misit litteras in Siciliam ad Carpinatium, cum esset magister scripturae et sex publicorum, quas ego Syracusis apud Carpinatium—inveni. de magistris scripturae Siciliensibus v. adn. 280—283.

⁵²⁵) Verr. II, 70, 171: Canuleius vero, qui in portu Syracusis operas dabat, furta quoque istius permulta nominatim ad socios perscripserat, ea quae sine portorio Syracusis erant exportata; portum autem et scripturam eadem societas habebat. cf. tit. 28 (cum adn. Mommseni).

⁵²⁶) Verr. II, 75, 185: his exportationibus, quae recitatae sunt, scribit (L. Canuleius) HS LX socios perdidisse ex vicesima portorii Syracusis; pauculis igitur mensibus, ut hi pusilli et contempti libelli indicant, furta praetoris, quae essent HS duodecies, ex uno oppido solo exportata sunt: cogitate nunc, cum illa Sicilia sit, hoc est insula, quae undique exitus maritimos habeat, quid ex ceteris locis exportatum putetis: quid Agrigento, quid Lilybaeo, quid Panhormo, quid Thermis, quid Halaesa, quid Catina, quid ex ceteris oppidis, quid vero Messana?

⁵²⁷) Verr. III, 7, 18: L. Octavio et C. Cottae consulibus senatus permisit ut vini et olei decumas et frugum minutarum, quas ante quae stores in Sicilia vendere consuissent, Romae venderent legemque his rebus quam ipsis videretur dicerent. — consules — de consilii sententia pronuntiarunt se lege Hieronica vendituros.

civitati aut Amestratinae ademptum⁵²⁸), aratores colebant populo debebant⁵²⁹). sex publica autem illa, quae Siciliae socios simul cum portu et scriptura exercuisse Cicero docet, ab iis publicis, quae supra diximus, veremur ne non fuerint diversa⁵³⁰). porro in ipsa provincia mancipibus fruendae singillatim locabantur lege Hieronica frumenti decumae civitatum XXXV itemque incolarum Halicyensium et Segestanorum⁵³¹). quae decumae a C. Iulio Caesare sublatae esse videntur⁵³²).

§ 3.

Sardiniae decumas nequaquam a publicanis conducī solitas esse perspicuum est⁵³³), nisi quae agri publici erant. harum vero itemque

⁵²⁸) Mommsen StR. III p. 730 adn. 1.

⁵²⁹) Verr. III, 6, 13: per paucae Siciliae civitates sunt bello a maioribus nostris subactae; quarum ager cum esset publicus populi Romani factus, tamen illis est redditus: is ager a censoribus locari solet. at enim vel Leontini atque Amestratini agri decumae Syracusis inveniuntur locatae esse lege Hieronica: opinamur populum Romanum, cum his agris ita parcere vellet, ut decumas solas iis imponeret, ne venditionem quidem illarum separatim a ceterarum decumarum venditione fieri voluisse.

⁵³⁰) Verr. III, 71, 167. cf. adn. 276.

⁵³¹) Dum Verres Siciliam obtinet, mancipēs fuerunt: agri Accestensis Docimus qui tritici decumas habebat (Verr. III, 36, 83); Aetnensis agri a. 683 Apronius (44, 104 cf. 23, 57); Agyrinensis idem Apronius (27, 67 sqq.); Amestratini a., ni fallor, 681 M. Caesius (39, 89), eiusdem agri a. 682 Bariobal Venerius (39, 89; Sex. Venonius utrum decumanus fuerit an non, dubium est), a. 683 iterum M. Caesius (43, 101); agri Calactini a. 683 Caesius idem (43, 101); Catinensis agri Apronius (43, 103); Halicyensis, ab incolis eius civitatis occupati, P. Naevius Turpio (40, 91); Hennensis Apronius (42, 100); Herbitensis a. 681 Atidius, qui tritici decumas emerat (32, 75), proximo anno in iisdem decumis Apronius (32, 76), anno denique 683 in tritici decumis Aeschrio Syracusanus (33, 77), in decumis hordei Docimus (34, 78); Hyblensis agri Cn. Sergius (43, 102); Imacharensis Apronius (42, 100); Leontini a. 683 redemptis tritici decumis Apronius (46, 110); Liparensis in eodem genere decumarum A. Valentius (37, 84); agri Menaenorum servus quidam Venerius (43, 102); Mutycensis Theomnastus Syracusanus (43, 101); Petrini P. Naevius Turpio (39, 90); Segestani (ab incolis videlicet occupati, cf. III, 6, 13) Symmachus servus Venerius (40, 92); Thermitani agri Pasidorus, ni fallor, civitatis Thermitanae legatus missus ut emeret, pecunia Venuleio data ne accederet (42, 99); agri Tisensis a. 682 et 683 Diognetus Venerius (38, 86). ceterarum civitatum ignoti mancipēs; ipsae appellantur a Cicerone acc. III 43, 103 suntque: Agrigentina, Apolloniensis, Assorina, Capitina, Cephaloeditana, Citarina, Enguina, Entellina, Gelensis, Haluntina, Helorina, Heracliensis, Ietina, Incensis, Murgentina, Scherina (sive Acherina), Soluntina, Tyndaritana. omnes civitates, quaecumque decumas pensabant, se enumerasse monet orator, cum dicit: per omnis civitates, quae decumas habent, percurrit oratio mea (III, 42, 100).

⁵³²) Mommsen hist. R. III p. 507 adn.—itaque «frumentum mancipale» Siciliae, quod commemoratur in titulis quibusdam aetatis imperatoriae (adn. 389; cf. Hirschfeld Verwaltungsbeamt. p. 140 sq.), intellegendum est id, quod populus Romanus a Siciliae civitatibus per mancipēs emere consuevit, quod genus «alterae decumae» fuerant aetate Ciceroniana.

⁵³³) In ipsa provincia decumas a Romanorum *στρωγος* civitatibus solitas esse (cf.

scripturae et portorii locationes censoriae, etsi nusquam commemorantur, quin fieri solitae sint haud equidem dubitarim, verum tamen et omnino mentio fit de publicanis Sardiniae, et prima aetate provinciae salinae publicae a sociis conductae fuisse reperiuntur⁵³⁴).

§ 4.

Hispaniae vicesimae a censoribus locatae numquam sunt, sed ab ipsis Hispanis venire solitae sunt mancipibus, qui, cum exactas magistratui Romano praestiterant, tantum pecuniae rursus accipiebant ab Hispaniae civitatibus, quantum his frumenti aestimatione facta vicesimarum nomine de stipendii populo Romano debiti summa deducebatur⁵³⁵).—a. 559 M. Porcius Cato in Hispania vectigalia magna instituit ex ferrariis argentariisque⁵³⁶); quae igitur metalla Hispanis ademerat, publicanis fruenta locavit⁵³⁷). nimirum et ademisse Romanos Hispanis aurarias argentariasque constat⁵³⁸), et quae Diodorus de Italis Hispaniae metalla per maximas servorum familias exercentibus narrat ad publicanos referantur necesse est⁵³⁹), quamquam pleraque metalla postea e publicis populi Romani privata facta sunt, ut argentifodinae magnae sitae ad Carthaginem Novam⁵⁴⁰).

Mommsen hist. R. II p. 110) negamus ideo, quod hoc ius Siciliae praecipuum fuisse Cicero auctor est (Verr. III, 6, 12. 14). quoniam porro ceterorum agrorum vectigalium rationem eam fuisse idem docet Tullius, ut aliis provinciis certum impositum vectigal, aliis censoria locatio constituta esset, facile intellegimus Sardiniam, quippe quae stipendiaria provincia esset, a magistratibus populi Romani omnino locari non potuisse, sed ita decumas dedisse, ut harum pretium frumenti aestimatione facta de debiti stipendii summa deduceretur; quae decumarum ratio eadem atque vicesimarum Hispaniensium fuisse videtur. Marquardtii (St.-Verw. II p. 197) igitur sententiae assentimur; quam ita impugnavit Dessau (l. l. adn. 2), ut, cum negabat fere inter Sardiniam Siciliamque quicquam in agrorum vectigalium iure ac conditione interfuisse, neque Hieronicae legis, quae Siciliae propria fuerat, rationem haberet, neque hoc cogitaret, alteram provinciam stipendium nullum pependisse, alteram agro stipendioque mulctatam esse.

⁵³⁴) Tit. 30.

⁵³⁵) Liv. XXXIII, 2, 12: in futurum consultum—ab senatu Hispanis, quod impetrarunt, ne frumenti aestimationem magistratus Romanus haberet neve cogeret vicensumas vendere Hispanos quanti ipse vellet et ne praefecti in oppida sua ad pecunias cogendas imponerentur. cf. Marquardt l. l.

⁵³⁶) Liv. XXXIV, 21, 7.

⁵³⁷) Cf. Binder, die Bergwerke im röm Staatshaushalt p. 7; Dietrich Beiträge p. 30.

⁵³⁸) Maccab. I, 8, 3.

⁵³⁹) Diod. V, 36, 3: ὕστερον δὲ τῶν Ῥωμαίων κρατησάντων τῆς Ἰβηρίας πλήθος Ἰταλῶν ἐπεπόλασε τοῖς μετάλλοις καὶ μεγάλους ἀπεφέροντο πλοῦτους διὰ τὴν φιλοκερδίαν, ὠνούμενοι γὰρ πλήθος ἀνδραπόδων παραιδόασι τοῖς ἐφεισηκόσι ταῖς μεταλλικαῖς ἐργασίαις κτλ.

⁵⁴⁰) Polyb. XXXIV, 9: ὅπου τέτταρας μυριάδας ἀνθρώπων μένειν τῶν ἐργαζομένων, ἀναφέροντας τότε τῷ δήμῳ τῶν Ῥωμαίων καθ' ἑκάστην ἡμέραν δισμυρίας καὶ πεντακισχιλίας δραχμῶν.

Numantini causa in Hispaniam proficiscenti *τελωνικαὶ πρόσοδοι* ⁵⁴¹), id est, pecuniae cum ceterorum publicanorum tum maxime sociorum portorii.— Hispaniarum vectigal temporibus Sertorianis nullum fuit ⁵⁴²).—in Verris accusatione Cicero de Hispaniae publicanis commemorat ⁵⁴³).—piscatus publicus Baeticae, quem Pliniana aetate socii exercebant ⁵⁴⁴), antiquitus locari solitus esse videtur ⁵⁴⁵).

§ 5.

Macedonia cum in provinciae formam redigeretur (a. 587), decrevit senatus metalli Macedonici ⁵⁴⁶) vectigal, quod erat ingens, locationesque praediorum rusticorum tolli placere: nam neque sine publicano exerceri posse, et, ubi publicanus esset, ibi aut ius publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse; ne ipsos quidem Macedonas id exercere posse: ubi in medio praeda administrantibus esset, ibi numquam causas seditionum aut certaminis defore ⁵⁴⁷). aeris tamen et ferri metalla ut ipsi Macedones exercerent permisit L. Aemilius Paulus imposito exercentibus vectigali dimidio eius, quod regi Persae pependerant ⁵⁴⁸). quamquam anno iam 595 metalla in Macedonia instituta esse traditum est ⁵⁴⁹), ut tunc universa Romae ad hastam censoriam venisse videantur ⁵⁵⁰). iam agri qui regis Philippi sive Persae fuerant aetate Ciceroniana in pascuis censoriis erant ⁵⁵¹); Corinthius ager locatur a. 643 ⁵⁵²). portoria quoque, quae regum antea fuerant ⁵⁵³), quin a censoribus fruenta locata sint non dubitamus. etenim Sulla, dum in Achaia moratur

Str. III, 2, 10 p. 148 ad h. l: ἔστι καὶ νῦν τὰ ἀργυρεῖα, οὐ μέντοι δημόσια οὔτε ἐνταῦθα οὔτε ἐν τοῖς ἄλλοις τόποις, ἀλλ' εἰς ἰδιωτικὰς μεθέστηκε κτήσεις. cf. Hirschf. Vg. I, p. 73; Verwaltungsbeamten, p. 146 sq.

⁵⁴¹) Plut. apophth. imp. Sc. min. 15: χρήματα λαβεῖν τῶν ἐτοίμων οὐκ εἴσαν, ἀλλὰ τὰς τελωνικὰς προσόδους ἀπέταξαν οὐπω χρόνον ἐχούσας. cf. Mommsen St. R. III p. 1139 adn. 1.

⁵⁴²) Cic. de l. agr. II, 30, 83.

⁵⁴³) Verr. III, 11, 27.

⁵⁴⁴) Plin. n. h. XXXI, 43; Martial. XIII, 102. cf. Burmann de vectig. c. IX, p. 127 sq.

⁵⁴⁵) Hübner, röm. Herrschaft in Westeuropa p. 273.

⁵⁴⁶) Cf. Liv. XXXIX, 24, 2: metalla—et vetera intermissa recoluit et nova multis locis instituit.

⁵⁴⁷) Liv. XXXXV, 18, 3.

⁵⁴⁸) Liv. XXXXV, 29, 1.

⁵⁴⁹) Cassiod. chron. 384—de Atticae metallis v. Diod. V, 37, 1.

⁵⁵⁰) Cf. Marquardt St.-Verw. II p. 253 adn. 1.

⁵⁵¹) Cic. de l. agr. II, 19, 50; cf. I, 2, 5.

⁵⁵²) L. agr. vv. 96—101.

⁵⁵³) Liv. XXXIX, 24, 2: vectigalia regni—fructibus—agrorum portoribusque maritimis auxit.

belli contra Mithridatem gerendi causa, deorum immortalium agros in Boeotia sitos vectigaliaque, ne publicanis praedae essent, ita excipit, ut ceterarum Aethiopiae quidem civitatum scriptura et portu publicanos frui consuesse appareat ⁵⁵⁴).—a. 676 senatus decernit ut magistratus populi Romani, quicumque Asiam Euboeam locaturi sint vectigalve Asiae Euboeae imposituri, curent ne quid Asclepiades Clazomenius eiusque socii vectigalis nomine dare debeant ⁵⁵⁵).—a. 691 de controversia decernit senatus, quae de exceptione illa Sullana orta est inter Oropios et publicanos ⁵⁵⁶).—publicanorum Macedoniae simul cum ceterarum provinciarum publicanis Cicero mentionem facit sic, ut etiam eos, qui Aethiopiae atque Illyrici vectigalia conduxerant, illis adnumerare videatur ⁵⁵⁷).—a. 697 L. Calpurnius Piso, dum Macedoniam pro praetore obtinet, huius provinciae publicanos vexat ⁵⁵⁸).—a. 706 Pompeius pecuniam magnam Macedoniae atque Aethiopiae societates sibi numerare cogit ⁵⁵⁹).

§ 6.

Africae publicani a. 643 reperiuntur decumas scripturamque habuisse agri publici ⁵⁶⁰); belli Jugurthini temporibus auctoritate in re publica multum valuisse ⁵⁶¹); a. 684 contra Catilinam repetundarum ex Africa

⁵⁵⁴) Sc. de Oropiis v. 46: τῆς πόλεως καὶ τῆς χώρας λιμένων τε Ὀρωπίων τὰς προσόδους.

⁵⁵⁵) Sc. de Ascl. v. 5. 23.

⁵⁵⁶) Sc. de Oropiis; Cic. de nat. deor. III, 19, 49: an Amphiarus erit deus et Trophonius? nostri quidem publicani, cum essent agri in Boeotia deorum immortalium excepti lege censoria, negabant immortalis esse ullos, qui aliquando homines fuissent.

⁵⁵⁷) Verr. III, 11, 27.

⁵⁵⁸) Cic. in Pis. 41, 98: indemnatum videri putas, quem socii, quem foederati, quem liberi populi, quem stipendiarii, quem negotiatores, quem publicani, quem universa civitas — omni cruciatu dignissimum putent? 36, 87: vectigalem provinciam, singulis rebus quae cumque venirent certo portorio imposito, servis tuis publicanis, a te factam esse meministi? cf. 34, 84: vectigalia nostra perturbarunt de prov. cons. 6, 13: publicanorum ruinas.

⁵⁵⁹) Cacs. de b. c. III, 3, 2.

⁵⁶⁰) L. agr. 83: [quem agrum locum populus Romanus ex h(ac) l(ege) locabit, quem agrum locum Latinus peregrinusve ex h. l. possidebit, is de eo agro loco... vectigal decumas] scripturam populo aut publicano item dare debeto, ut ei pro eo agro loco, quem agrum locum populus Romanus ex h. l. locabit, quem agrum locum civis Romanus ex h. l. possidebit, dare oportebit. vv. 85—89.

⁵⁶¹) Vell. Pater. II, 11, 2: hic (sc. C. Marius) per publicanos aliosque negotiantis criminatus Metelli lentitudinem trahentis iam in tertium annum bellum et naturalem nobilitatis superbiam morandique in imperiis cupiditatem effecit ut cum comaeu petito Romam venisset consul crearetur. cf. Diod. fr. XXXIV—XXXV 65: ὅτι ὁ Μάριος, εἷς ὧν

postulatum testes exstitisse ⁵⁶²). eorundem mentionem Cicero facit in accusationis quam in Verrem scripsit tertio ⁵⁶³). qui idem et Africam illos de censoribus conduxisse a. 685 commemorat ⁵⁶⁴), et de societate eorum meminit a. 689, cuius societatis maximis negotiis P. Cuspium bis praefuisse ait ⁵⁶⁵). exstat titulus Numidicus vicensumariorum, qui positus esse videtur ante institutam vicesimam hereditatum (a. p. Ch. 6.) ⁵⁶⁶).

§ 7.

Asiae locationem censoriam a C. Graccho constitutam esse a. 631 satis constat ⁵⁶⁷), cuius lege locari coepta sunt huius provinciae portoria ⁵⁶⁸), decumae ⁵⁶⁹), scriptura ⁵⁷⁰). quae qui de censoribus conducebant dum cupidius exercent, et prima aetate provinciae controversiam cum Pergamenis de agris quibusdam habuerunt ⁵⁷¹), et circiter a. 656 a Q. Mucio Scaevola propter multas iniurias Asianis factas severiore imperio

τῶν συμβούλων καὶ τῶν πρεσβευτῶν, ὑπὸ τοῦ στρατηγοῦ παρεθεωρεῖτο ταπεινότητος ὧν τῶν πρεσβευτῶν δόξη. οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι τοῖς ἀξιώμασι καὶ ταῖς εὐγενείαις ὑπερέχοντες μεγάλης ἀποδοχῆς ἐτόγγανον ὑπὸ τοῦ στρατηγοῦ, οὗτος δὲ, δοκῶν γεγονέναι δημοσιῶν καὶ τὰς ὑποδεεστέρας ἀρχὰς μῶγος εἰληφώς, ἐν ταῖς εἰς δόξαν προαγωγαῖς παρεθεωρεῖτο.

⁵⁶²) Marquardt hist. equ. R. (Berol. 1840) p. 20; Asc. in or. in toga cand. Or. p. 86.

⁵⁶³) Verr. III, 11, 27.

⁵⁶⁴) Cic. pro Font, 1, 2 (v. adn. 99).

⁵⁶⁵) Cic. ad fam. XIII 6 a (v. adn. 104. 364).

⁵⁶⁶) Tit. 106 (c. adn. Mommseni). licet «multa in provinciis vectigalia nobis ne nomine quidem nota» fuerint, tamen vicensumariorum illos vicesimae libertatis socios fuisse nomen ipsum adducit ut credamus (cf. tt. 19. 23).

⁵⁶⁷) Verr. III, 6, 12: ceteris (provinciis) censoria locatio constituta est, ut Asiae lege Sempronia. Front. ad Ver. II, 1, p. 125 Nab.: iam Cato Hispaniam recuperabat, iam Gracchus locabat Asiam et Carthaginem viritim dividebat. App. b. c. V, 4; ubi afferuntur Antonii verba quae fecit in conventu Asiae: οὐς γὰρ ἐτελεῖτε φόρους Ἀττάλῳ μελήγαμεν ὑμῖν, μέχρι δημοκόπων ἀνδρῶν καὶ παρ' ἡμῖν γενομένων ἐδέησε φόρων. ἐπεὶ δὲ ἐδέησεν, οὐ πρὸς τὰ τιμήματα ὑμῖν ἐπεθήγαμεν, ὡς ἂν ἡμεῖς ἀκίνδονον φόρον ἐκλέγοιμεν, ἀλλὰ μέρη φέρειν τῶν ἐκάστοτε καρπῶν ἐπετάξαμεν, ἵνα καὶ τῶν ἐναντίων κοινωνῶμεν ὑμῖν. τῶν δὲ ταῦτα παρὰ τῆς βουλῆς μισθουμένων ἐνοβριζόντων ὑμῖν καὶ πολὺ πλείονα αἰτούντων Γάιος Καῖσαρ κτλ. Schol. Bob. in or. pro Planc. Orell. V p. 259: desideratum est in senatu nomine publicanorum, ut cum iis ratio putaretur lege Sempronia et remissionis tantum fieret de summa pecunia, quantum aequitas postularet pro quantitate damnorum quibus fuerant hostili incursione vexati. l. agr. v. 82. Mommsen hist. R. II p. 111 adn.

⁵⁶⁸) Vell. II, 6, 3 (Caius Tiberii Gracchi frater) nova constituebatur portoria. Gell. XI, 10. cf. Herzog System I p. 468 adn. 2.

⁵⁶⁹) App. l. 1.

⁵⁷⁰) Lucil. XXVI, 14 (p. 568 Muell.) (v. adn. 224). cf. p. 51.

⁵⁷¹) Sc. de Adramytenis vv. 5—7: περὶ χώρας ἥ[τις ἐν ἀντι]λογία ἐστὶν δημοσιώ[ναις πρὸς] Περγαμηνούς (Foucart Bull. de Corr. Hell. 1885 p. 401 sqq., Viereck Sermo Gr. XV. Mommsen Eph. IV p. 216: «probabiliter decretum reiciemus ad aetatem Cicerone anteriorem»).

coërciti sunt ⁵⁷²), quem quidem cum ulcisci non possent, legatum eius P. Rutilium Rufum repetundarum Romae damnarunt ⁵⁷³).

Cum C. Iulius C. f. Caesar, divi Iulii pater, Asiae procos. erat (a. 656—664), Romanorum δημοσιῶναι atque ἀλῶναι, quippe μέγα τι παρὰ Ῥωμαίοις [δυνάμενοι], agrum civitatis Prienensis olim regium, tum publicum, ut ipsis videbatur, populi Romani factum itemque salinas Minervae sacras invita civitate occupasse inveniuntur Priennaeso teste titulo; qua controversia ad senatum delata et ager ille et salinae deae Minervae redditi sunt, non tamen ut, cum C. Caesari L. Lucilius successerat, ab eadem petitione publicani destiterint. iam in alio eiusdem civitatis titulo paullo recentiore de redintegrata publicanorum in Priennaesos incursione vique inlata et necibus agi videmus ^{573a}).

Quorum publicanorum ⁵⁷⁴) pars a. 666 cum ceteris civibus Romanis

⁵⁷²) Diod. fr. XXXVII, 6: ὅτι Κόντος Σκαίουόλας—ἐκπεμφθεὶς—εἰς τὴν Ἀσίαν στρατηγός, ἐπιεξάμενος τὸν ἄριστον τῶν φίλων σύμβουλον Κόντον Ῥοτίλιον, μετ' αὐτοῦ συνήδρευε βουλευόμενος καὶ πάντα διατάττων καὶ κρίνων τὰ κατὰ τὴν ἐπαρχίαν.—εἶτα—τὴν ἐπαρχίαν ἀνέλαβεν ἐκ τῶν προγεγονότων ἀκληρημάτων· οἱ γὰρ προγεγονότες κατὰ τὴν Ἀσίαν δημοσιῶναι, κοινωνοὺς ἐσχηκότες τοὺς ἐν τῇ Ῥώμῃ τὰς δημοσίας κρίσεις διαδικάζοντες, ἀνομημάτων ἐπεπληρώσαντες τὴν ἐπαρχίαν. ib. 7: ὅτι Λεύκιος (sc. Κόντος) ὁ Σκαίουόλας—τὰ τῶν δημοσιῶνων ἀνομήματα διορθώσατο κτλ. (v. adn. 418). ib. 8: ὅτι ὁ αὐτὸς τοὺς δημοσιῶνας κατεδίκαζε καὶ τοῖς ἡδίκημένοις ἐνεχείριζε. Cic. ad Att. VI, 1, 15: ego tamen habeo ἰσοδυναμοῦσαν (exceptionem), sed tectio-rem ex Q. Mucii P. f. edicto Asiatico: «extra quam si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat ex fide bona». ad fam. I, 9, 26: scis quam graviter inimici ipsi illi Q. Scaevolae fuerint. p. Planc. 13, 33: equitum ego Romanorum in homines nobilissimos maledicta, publicanorum in Q. Scaevolam, virum omnibus ingenio iustitia integritate praestantem, aspere et ferociter et libere dicta commemorem? cf. Pauly R.-Enc. V p. 185. Mommsen hist. R. II p. 211.

⁵⁷³) Diod. l. l. Liv. ep. LXX: Rutilius, vir summae innocentiae, quoniam legatus Q. Mucii proconsulis a publicanorum iniuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est. Ps.-Asc. in div. 57 Or. V p. 122: huius (sc. Q. Scaevolae) quaestor Rutilius Rufus damnatus est, quod cum praetore consenserit suo, ne publicani aliquid agerent in provincia sua. quo cognito equites Romani (nam tum ante Sullana tempora iudicabant) damnarunt eum. cf. Cic. p. Font. 17, 38.—Orellii Onomast. II p. 407. Mommsen l. l.

^{573a}) Inschriften von Priene, hrsggb. von Hiller v. Gaertringen, Berol. 1906, n° 111, p. 97 sqq.; n° 117, p. 112.—cf. adn. 571. 610.

⁵⁷⁴) Justin. hist. Philipp. epit. XXXVIII: (Mithridates militibus dicit) magnam temporis partem (eos) non ut militiam, sed ut festum diem acturos, bello dubium facili magis an uberi, si modo aut proximas regni Attalici opes aut veteres Lydiae Ioniaeque audierint (equidem malim adierint), quas non expugnatum eant, sed possessum; tantumque abesse ut se pavida cxspectet Asia (sic Madvigius), ut etiam vocibus vocet: adeo illis odium Romanorum incussit rapacitas proconsulum, sectio publicanorum, calumniae litium.

in Asia negotiantibus interierunt, reliqui propter belli calamitatem certe vectigalibus amplius frui non potuerunt.

A. 670 L. Cornelius Sulla debitum superioris quinquennii vectigal imperatamque, qua belli sumptus sarciretur, pecuniam, omni provincia in partes sive quadraginta sive quattuor et quadraginta divisa⁵⁷⁵), aequaliter Graecis discripsit numerarique iussit sine publicano⁵⁷⁶). itaque et tunc a decumis redimendis exclusi publicani sunt⁵⁷⁷), neque a. 672 conductas a populi Romani magistratibus decumas ullas habuisse perspiciuntur⁵⁷⁸). quamquam Graeci, cum vectigal a Sulla impositum ipsi per se pendere non possent⁵⁷⁹), sive ipsorum fructus sive ὠνάς⁵⁸⁰) aliosque reditus⁵⁸¹) publicanis vendiderunt obaeratique facti sunt civium Romanorum⁵⁸²). ex quo intellegitur, continuo se in recuperatam Asiam contulisse publicanos, ut, etiamsi decumas exercere non possent, scriptura tamen portuque atque agris publicis fruerentur. verum tamen tantum abest ut decumarum locationes a Sulla in perpetuum sublatae sint, ut et postea populi Romani magistratus, prout res postulare videbatur, modo locare Asiam, modo cer-

⁵⁷⁵) Mommsen hist. R. II p. 346 adn. Marquardt St.-V. I p. 339.

⁵⁷⁶) Appian. Mithr. 62: μόνους ὑμῖν ἐπιγράφω (sunt autem haec verba Sullae) πέντε ἐτῶν φόρους ἐσενεγκεῖν αὐτίκα καὶ τὴν τοῦ πολέμου δαπάνην.—διαίρησω δὲ ταῦθ' ἐκάστοις ἐγὼ κατὰ πόλεις καὶ τάξω προθεσμίαν ταῖς ἐσφοραῖς κτλ. Plut. Lucull. 4: Σύλλας δὲ τὴν Ἀσίαν διςμυρίοις ταλάντοις ἐζημίωσε, προσταχθὲν αὐτῷ (id est, Lucullo) τὰ τε χρήματα ταῦτα πράξει καὶ νόμισμα κόψαι (cf. Beandorff-Niemann, Reisen im südwestl. Kleinasien I p. 155. Viereck Serm. Gr. XVI). Cic. ad Q. fr. I, 1, 11, 33: nomen autem publicani aspernari non possunt; qui pendere ipsi vectigal sine publicano non potuerint, quod iis aequaliter Sulla discripserat.

⁵⁷⁷) Quod cum in Asia fieri vidissent Heracleae Ponticae cives, decreverunt διαπρεσβεύσασθαι—πρὸς τὴν σύγκλητον, ὥστε δημοσιωνίας ἀπολυθῆναι (Memnon 38, 2 ap. Muellerum, fragm. hist. Gr. III p. 545).

⁵⁷⁸) Verr. I, 35, 89: ex pecunia vectigali populo Romano.

⁵⁷⁹) Cic. ad Q. fr. I. 1. (adn. 576).

⁵⁸⁰) Cf. Mommsen hist. R. III p. 382 adn. 2.

⁵⁸¹) App. Mithr. 63: αἱ δὲ πόλεις ἀποροῦσαι τε καὶ δανειζόμεναι μεγάλων τόκων, αἱ μὲν τὰ θεάτρα τοῖς δανείζουσιν, αἱ δὲ τὰ γυμνάσια ἢ τεῖχος ἢ λιμένας ἢ τι δημόσιον ἄλλο, σὺν ὕβρει στρατιωτῶν ἐπειγόντων, ὑπετίθεντο. τὰ μὲν δὲ χρήματα ᾗδε τῷ Σύλλᾳ συνεκομίζετο, καὶ κακῶν ἀδδην εἶχεν ἢ Ἀσία.

⁵⁸²) Plut. Luc. 7: (Μιθριδάτης) τὴν Ἀσίαν ὅλην ὑποτροπῆ τῶν ἐμπροσθεν νοσημάτων εἶχεν ἀφόρητα πάσχουσαν ὑπὸ ῥωμαϊκῶν δανειστῶν καὶ τελωνῶν. οὗς ὕστερον μὲν ὡς περ Ἀρπυίας τὴν τροφήν ἀρπάζοντας αὐτῶν ὁ Λούκουλλος ἐξήλασε, τότε δὲ μετριωτέρας ἐπειρᾶτο νοθετῶν ποιεῖν καὶ τὰς ἀποστάσεις κατέπαυε τῶν δῆμων, οὐδενὸς ὡς ἔπος εἰπεῖν ἡσυχάζοντος. ib. 20: Λούκουλλος δὲ τρέπεται πρὸς τὰς ἐν Ἀσίᾳ πόλεις, ὅπως—καὶ δικῆς τινὸς μετὰσχῆ καὶ θεσμῶν, ὧν ἐπὶ πολλὸν χρόνον ἐνδεῆ τὴν ἐπαρχίαν οὖσαν ἄβρητοι καὶ ἀπιστοι δυστοχίαι κατεῖχον ὑπὸ τῶν τελωνῶν καὶ τῶν δανειστῶν πορθουμένην καὶ ἀνδραποδιζομένην.—ταῦτα μὲν κακὰ Λούκουλλος εὐρῶν ἐν ταῖς πόλεσιν, ὀλίγῳ χρόνῳ πάντων ἀπήλλαξε τοὺς ἀδικουμένους.—ἦν δὲ τοῦτο κοινὸν δάνειον ἐκ τῶν διςμυρίων ταλάντων, οἷς τὴν Ἀσίαν ἐζημίωσεν ὁ Σύλλας καὶ διπλοῦν ἀπεδόθη τοῖς δανείασιν ὑπ' ἐκείνου ἀνηγμένον ἤδη τοῖς τόκοις εἰς δώδεκα μυριάδας ταλάντων. ἐκεῖνοι μὲν οὖν, ὡς δεῖνὰ πεπονθότες, ἐν Ῥώμῃ τοῦ Λουκούλλου κατεβῶν καὶ χρήμασιν ἀνίστασαν ἐπ' αὐτὸν ἐνίους τῶν δημαγωγῶν μέγα δυνάμενοι καὶ πολλοὺς ὑπόχρεως πεπονημένοι τῶν πολιτευομένων κτλ.

tum ei vectigal imponere consuesse reperiantur, et a. 678 senatus utramque Asiae vectigalium exigendorum rationem pro re nata iniri posse significarit⁵⁸³). nihilo minus non ante restitutam censuram Asiae decumae denuo locatae esse videntur⁵⁸⁴).

Qui autem annus restitutae censurae initium fuit (qui est ab U. c. 684), eius anni censores C. Cornelius Lentulus Clodianus L. Gellius Poplicola civitatum Asiaticarum decumas fruendas vendiderunt; nam a. 688 certe illae exercebantur a publicanis⁵⁸⁵). qua aetate Cicero cum omnino mentionem facit de publicanis Asiaticis magnoque eos in re publica momento esse iudicat⁵⁸⁶), tum decumas scripturam portum ab iis conductam esse commemorat⁵⁸⁷). a. circiter 685 T. Aufidius traditur exigam quandam Asiatici publici particulam habuisse⁵⁸⁸).

Exacto quinquennii tempore, in quod locatae erant, Asiae decumae denuo videntur locari desitae esse idque ob hanc fortasse causam, quod

⁵⁸³) Sc. de Ascl. v. 5. 23.—anno 693 Sempronia lex etiam tum valuit (schol. Bob. l. l., adn. 576).

⁵⁸⁴) Lucullus enim non decumas excogisse a civitatibus, sed Certa quaedam vectigalia iis imposuisse traditur: καὶ ἐς τὴν Ἀσίαν αὐτὸς ἐπανεληθὼν ὀφείλουσαν ἔτι τῶν Συλλείων ἐπιβολῶν τέταρτα μὲν ἐπὶ τοῖς καρποῖς, τέλη δ' ἐπὶ τοῖς θεράποισι καὶ ταῖς οἰκίαις ὤριζεν (App. Mithr. 83). nam τέταρτα quidem illa debitoribus eum addixisse intellegimus (cf. Plut. Luc. 20: τὸ δὲ τρίτον καὶ μέγιστον, ἔταξε τῶν τοῦ χρεωφειλέτου προσόδων τὴν τέταρτην μερίδα καρποῦσθαι τὸν δανειστὴν), tributa vero in capita servorum imposita ostiariaque (cf. Caes. b. c. III, 32) populo Romano praestari iussisse.

⁵⁸⁵) Cic. de imp. Pomp. 6, 15 sq.: cum hostium copiae non longe absunt etiamsi inruptio nulla facta est, tamen pecuaria relinquitur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit; ita neque ex portu neque ex decumis neque ex scriptura vectigal conservari potest: quare saepe totius anni fructus uno rumore periculi atque uno belli terrore amittitur. quo tandem igitur animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia nobis pensitant, aut eos, qui exercent atque exigunt, cum duos reges cum maximis copiis propter adsint? cum una excursio equitatus per brevi tempore totius anni vectigal auferre possit? cum publicani familias maximas, quas in saltibus habent, quas in portibus atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur.

⁵⁸⁶) Verr. III, 11, 27. de imp. Pomp. 7, 17 sqq.: nam et publicani, homines honestissimi atque ornatissimi, suas rationes et copias in illam provinciam contulerunt, quorum ipsorum per se res et fortunae vobis curae esse debent.—neque enim iisdem redimendi facultas erit propter calamitatem, neque aliis voluntas propter timorem.—tum, cum in Asia rem multi amiserant, scimus Romae solutione impedita fidem concidisse.—haec fides atque haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro versatur, implicata est cum illis pecuniis Asiaticis ac cohaeret; ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefacta motu concidant.

⁵⁸⁷) De imp. Pomp. 6, 15. 16.

⁵⁸⁸) Val. Max. VI, 9, 7.

ut a. 690 item a. 692 certae pecuniae ad aedificandam classem civitatibus imperabantur⁵⁸⁹). nam Globulo quidem praetore, hoc est a. 691, civitates proprios fructus ita fere vendidisse reperiuntur, quem ad modum Hispaniae vicesimae ab ipsis Hispanis venire solebant⁵⁹⁰). iam anno eodem Cicero, dum de transmarinis populi Romani redivisibus verba facit, portum scripturamque Asiae commemorat, omittit decumas⁵⁹¹), quas et commemorare simul cum illis publicis semper consuevit⁵⁹²), et hoc loco minime omittere potuit, si etiam tum fuissent, quippe qui ipse iudicium de Asiae fructibus hoc fecisset: ceterarum provinciarum vectigalia— tanta sunt, ut eis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus, Asia vero tam opima est ac fertilis, ut et ubertate agrorum, et varietate fructuum, et magnitudine pastionis, et multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat⁵⁹³). accedit quod eodem anno nimiam Catonis in aerario vectigalibusque defendendis severitatem exprobrat, qui publicanis quaecumque petant negare soleat⁵⁹⁴): suspicamur enim a Cicerone publicanorum postulationem, ut decumae ipsas fruendae darentur, designari, cui postulationi ipse paulo ante in senatu consul suffragatus esset, Cato restitisset. quod cum illi proximo anno impetrassent nec tamen ea re contenti essent, sed ut induceretur locatio petiissent, non miramur scripsisse Tullium vix ferendas esse novas illas equitum Romanorum delicias; quas nihilo minus ipsum non solum tulisse, sed etiam ornavisse⁵⁹⁵).

⁵⁸⁹) Cic. p. Fl. 14, 32. (Marquardt St.-V. II p. 339 adn. 4).—cf. adn. 578.

⁵⁹⁰) Cic. p. Fl. 37, 91: fructus isti Trallianorum Globulo praetore venierant: Falcidius emerat HS nongentis milibus. quae verba longe secus explicat Marquardtius (St.-V. II p. 339 adn. 5). interpretatur enim Falcidium mancipem decumas Trallianorum fruendas conduxisse ab Asiae praetore quaestoreve colligitque ea aetate Asiae civitatum singularum decumas in ipsa provincia a magistratibus populi Romani locari solitas esse. cui interpretationi accusationis in Verrem locus ille (III, 6) repugnat, quo Cicero Siciliae hoc ius praecipuum esse docet, ut singularum civitatum decumae in ipsa provincia a quaestoribus locentur. quod ne postea quidem, quam haec Cicero scripsit, concessum Asiae esse statuendum est: neque enim ita ei provinciae pepercerunt Romani, ut decumarum locationes retinerent, publicanos quominus illis fruerentur prohiberent; et a. 693 eosdem publicanos, qui cetera Asiae vectigalia a censoribus conduxerant, etiam decumas exercuisse videmus (adn. 597.).

⁵⁹¹) Cic. de l. agr. II, 29, 80: quid vos Asiae portus, quid scriptura, quid omnia transmarina vectigalia iuvabunt?

⁵⁹²) Cic. de imp. Pomp. 6, 15, 16; p. Fl. 8, 19.

⁵⁹³) Cic. de imp. Pomp. 6, 14.

⁵⁹⁴) Cic. pro Murena 30, 62: petunt aliquid publicani: cave quicquam habeat momenti gratia. cf. de off. III, 22, 88. (adn. 600).

⁵⁹⁵) Cic. ad Att. I. 17. 9: ecce aliae deliciae equitum vix ferendae, quas ego non solum tuli, sed etiam ornavi: Asiam qui de censoribus

A. 693 publicani Asiatici, quorum maximae honestissimaeque societates erant plurimumque auctoritate in re publica valebant ⁵⁹⁶), ut decumis ⁵⁹⁷) ita portu scripturaque ⁵⁹⁸) male, ut ipsis videbatur, redemptis ⁵⁹⁹), remissionem pecuniae a senatu petere coeperunt eamque a. 695 auctore C. Caesare senatu invito a populo impetraverunt ⁶⁰⁰). qua aetate unus ex illorum principibus Plancius fuit ⁶⁰¹).

conduxerunt, questi sunt in senatu se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse; ut induceretur locatio postulaverunt cet.

⁵⁹⁶) Cic. ad Q. I, 1, 1, 6: constat—ca provincia—ex eo genere civium, qui aut, quod publicani sunt, nos summa necessitudine attingunt, aut quod ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatus beneficio se incolumis fortunas habere arbitrantur. ib. 11, 32: quibus (publicanis) si adversabimur, ordinem de nobis optime meritum et per nos cum re publica coniunctum, et a nobis et a re publica diiungemus cet. ib. 12, 36: non desistunt nobis agere cotidie gratias honestissimae et maximae societates; quod quidem mihi idcirco iucundius est, quod idem faciunt Graeci. pro Flacco 16, 37: laudatio ob signata est creta illa Asiatica — qua utuntur omnes non modo in publicis, sed etiam in privatis litteris, quas cotidie videmus mitti a publicanis. 16, 38: si—testarer publicanos, excitarem negotiatores cet.

⁵⁹⁷) Cic. ad Q. fr. I, 1, 11 sq. (a. 694): ac primum Graecis id, quod acerbissimum est, quod sunt vectigales, non ita acerbum videri debet, propterea quod sine imperio p. R. suis institutis per se ipsi ita fuerunt.—simul etiam illud Asia cogitet, nullam ab se neque belli externi neque domesticarum discordiarum calamitatem a futuram fuisse, si hoc imperio non teneretur; id autem imperium cum retineri sine vectigalibus nullo modo possit, aequo animo parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atque otium.—possunt in pactionibus faciendis non legem spectare consoriam, sed potius commoditatem conficiendi negotii et liberationem molestiae. pro Flacco 8, 19 (a. 695): mirandum vero est homines eos, quibus odio sunt nostrae secures, nomen acerbitati, scriptura documae portorium morti, libenter arripere facultatem laedendi, quaecumque detur. D. Cass. XXXVIII, 7, 4: πᾶσαι—γὰρ τελωνία δι' αὐτῶν ἐγίγνοντο. App. b. c. II, 13: οἱ δ' ἰππεῖς λεγόμενοι—δυνατώτατοι—ἐς ἅπαντα περιουσίας τε οὖνεκα καὶ μισθώσεως τελῶν καὶ φόρων, οὓς ὑπὸ τῶν ἐθνῶν τελουμένους ἐξεμισθοῦντο κτλ.

⁵⁹⁸) V. adn. 597.—Cic. ad Att. II, 16, 4 (a. 695): illud tamen, quod scribit (Q. Cicero), animadvertas velim, de portorio circumvectionis; ait se de consilii sententia ad senatum reiecisit.—si possum discedere, ne causa optuma in senatu pereat, ego satis faciam publicanis; εἰ δὲ μὴ, vere tecum loquar, in hac re malo universae Asiae et negotiatoribus; nam eorum quoque vehementer interest.

⁵⁹⁹) Cic. ad Q. fr. I, 1, 11, 33 (a. 694): hic te ita versari, ut et publicanis satis facias, praesertim publicis male redemptis, et socios perire non sinas, divinae cuiusdam virtutis esse videtur, id est tuae.

⁶⁰⁰) Cic. ad Att. I, 17, 9 (adn. 29); I, 18, 7: unus est qui curet constantia magis et integritate quam, ut mihi videtur, consilio aut ingenio, Cato, qui miseros publicanos, quos habuit amantissimos sui, tertium iam mensem vexat neque iis a senatu dari responsum patitur.

A. 700 simul cum cuncta Asia publicani C. Claudium Pulcrum, qui pro praetore ibi erat, in provincia retinere studuisse traduntur⁶⁰²). a. 703 P. Terentius Hispo in scriptura Asiae⁶⁰³), a. 707 in eiusdem provinciae portu et scriptura operas dedit pro magistro⁶⁰⁴); qui idem

de off. III, 22, 88: ego etiam cum Catone meo saepe dissensi: nimis mihi prae fracte videbatur aerarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare. ad Att. II, 1, 8 (a. 694): quid impudentius publicanis renuntiantibus? fuit tamen retinendi ordinis causa faciunda iactura: restitit et pervicit Cato. ad Att. II, 16, 2: adhuc haec ἐσοφίζετο (Pompeius)—de publicanis, voluisse se illi ordini commodare. pro Planc. 13, 31 sq.: pater vero, inquit, etiam obesse filio debet.—asperius, inquit, locutus est aliquid aliquando. immo fortasse liberius. at id ipsum, inquit, non est ferendum. ergo ei ferendi sunt, qui hoc queruntur, libertatem equitis Romani se ferre non posse?—quid est autem umquam questus, nisi cum a sociis et a se iniuriam propulsaret? cum senatus impediretur, quominus, id quod hostibus semper erat tributum, responsum equitibus Romanis redderetur, omnibus illa iniuria dolori fuit publicanis, sedeum ipsum dolorem hic tulit paulo apertius.—nam quod primus scivit legem de publicanistum, cum vir amplissimus consul id illi ordini per populum dedit, quod per senatum, silicuisset, dedisset, si in eo crimen est, quod suffragium tulit, quis non tulit publicanus? schol. Bob. p. 259 (adn. 567). Suet. Caes. 20: publicanos remissionem petentis mercedum parte relevavit ac ne in locatione novorum vectigalium immoderatus licerentur pro palam monuit. D. Cass. XXXVIII, 7, 4 sqq.: τὸ μὲν οὖν πλῆθος ἐκ τούτων ὁ Καῖσαρ ἀνηγήσατο, τοὺς δ' ἰπέας τὸ τρίτημόριόν σφισι τῶν τελῶν ἃ ἐμεμίσθωντο ἀφεῖς. πᾶσαι τε γὰρ τελωνία δι' αὐτῶν ἐγγίγοντο, καὶ πολλάκις τῆς βουλῆς δεηθέντες, ὅπως ἐκδικίας τινὸς τύχωσιν, οὐχ εὐροντο, ἄλλων τε καὶ τοῦ Κάτωνος ἀντιπραξάντων. App. b. c. II, 13: οἱ δ' ἰπέεις λεγόμενοι—ἐκ πολλοῦ τὴν βουλὴν ἤτουν ἀφεῖν τινα μέρους τῶν φόρων αὐτοῖς γενέσθαι, καὶ ἀποδιέτριβεν ἡ βουλὴ. ὁ δὲ Καῖσαρ ἐς οὐδὲν τότε τῆς βουλῆς δεόμενος, ἀλλὰ μόνῃ τῷ δήμῳ χρώμενος, τὰ τρίτα τῶν μισθώσεων αὐτοῖς παρήκεν, οἱ δὲ ὑπὲρ τὴν σφετέραν ἀξίωσιν ἀδοκίτου τῆς χάριτος αὐτοῖς γενομένης ἐξεθείαζον αὐτόν. Cic. in Vat. 12, 29: eripuerisne partes eo tempore carissimas partim a Caesare partim a publicanis?

⁶⁰¹) Cic. p. Planc. 9, 24: princepsiam diu publicanorum. 13, 32: princeps inter suos, plurimarum rerum sanatissimus et iustissimus iudex, maximarum societatum auctor, plurimarum magister.

⁶⁰²) Cic. p. Aem. Scauro 15, 35.—eodem anno ad Q. fratrem Cicero scribit (II, 9): de te a Magnetibus ab Sipylo mentio est honorifica facta, cum te unum dicerent postulationi L. Pansae restitisse. publicanum fuisse Pansam Drumann (VI p. 29) conicit; Magnetibus cum credidisse equidem putarim.

⁶⁰³) Cic. ad fam. XIII, 65: cum P. Terentio Hispone, qui operas in scriptura pro magistro dat, mihi summa familiaritas consuetudoque est.—eius summa existimatio agitur in eo, ut pactiones cum civitatibus reliquis conficeret.—ita et Hisponem meum per me ornaris, et societatem mihi coniunctiorem feceris tuque ipse et ex huius observantia, gratissimi hominis, et ex sociorum gratia, hominum amplissimorum, maximum fructum capies. cf. adn. 132.

⁶⁰⁴) Cic. ad Att. XI, 10, 1: P. Terentius, meus necessarius, operas in portu et scriptura Asiae pro magistro dedit: is Q. filium Ephesivum VI Idus Decembr.

anno iam 698 publicanorum causam in Asia egisse videtur⁶⁰⁵). a. 705 Cicero P. Mescinio Rufo scribit se omnem pecuniam, quae ad se salvis legibus pervenisset, cum e provincia discederet, Ephesi apud publicanos deposuisse⁶⁰⁶).

Eodem anno Q. Caecilius Metellus Scipio Asiae publicanis, ut in Syria fecerat, insequentis anni vectigal promutuuum imperavit⁶⁰⁷). hoc tempore publicani videntur decumas habuisse nullas, nam et quem supra diximus anno certae pecuniae civitatibus imperatae sunt⁶⁰⁸), et anno proximo C. Iulius Caesar decumarum exactiones tollere vix potuit, si a. 704, quod novi lustrii initium fuerat, illae a populi Romani magistratibus in quinque, ut solebat, annos locatae essent. — anno igitur 706 decumarum Asiaticarum locationes Caesar sustulit fructusque exigere civitatum magistratus iussit⁶⁰⁹).

Incerto tempore Asiae publicani controversiam habuisse narrantur cum Ephesiis de lacu quodam piscatuque, quorum vectigalia Romae publicanis abiudicatae templo Dianae Ephesiae addicta sunt⁶¹⁰).

§ 8.

Galliam Narbonensem Cicero et ante in iis provinciis, ex quibus conducendis praedas capere publicani consuerant, adnumerat⁶¹¹), et a. 685

⁶⁰⁵) Cic. ad Att. IV, 7, 1: de Apollonio quod scribis, qui illi di irati! homini Graeco, qui conturbat et idem putat sibi licere, quod equitibus Romanis: nam Terentius suo iure. cf. adn. 369.

⁶⁰⁶) Cic. ad fam. X, 20, 9.

⁶⁰⁷) Caes. de b. c. III, 32.

⁶⁰⁸) Caes. de b. c. I, 1.

⁶⁰⁹) App. b. c. II, 92: ὁ δὲ Καῖσαρ οὐ σχολὴν ἄγων περὶ μικρὰ τρίβεσθαι τοσῶνδε πολέμων αὐτὸν περιμενόντων, ἐς τὴν Ἀσίαν μετῆλθε καὶ παροδεῶν αὐτὴν ἐγγρημάτιζε ταῖς πόλεις ἐνοχλουμένας ὑπὸ τῶν μισθομένων τοὺς φόρους. V, 4: τῶν δὲ ταῦτα παρὰ τῆς βουλῆς μισθομένων (Antonii verba haec sunt, cf. adn. 567) ἐνοβριζόντων ὑμῖν καὶ πολὺ πλείονα αἰτούντων, Γάιος Καῖσαρ τῶν μὲν χρημάτων τὰ τρίτα ὑμῖν ἀνῆκεν ὧν ἐκείνοις ἐφέρετε, τὰς δ' ὕβρεις ἔπαυσεν, ὑμῖν γὰρ τοὺς φόρους ἐπέτρεψεν ἀγείρειν παρὰ τῶν γεωργούντων. Plut. Caes. 48: πᾶσι τοῖς τὴν Ἀσίαν κατοικοῦσι τὸ τρίτον τῶν φόρων ἀνῆκεν. (cf. Cic. ad fam. XV, 15, 2). D. Cass. XLII, 6: τοὺς γὰρ τελῶνας πικρότατά σφισι χρωμένους ἀπαλλάξας ἐς φόρου συντέλειαν τὸ συμβαῖνον ἐκ τῶν τελῶν κατεστήσατο.—ceteri publicani in Asia manserunt, ut socii portus (cf. t. 99, Suet. Vesp. 1)

⁶¹⁰) Str. XIV, 1, 26, p. 642: μετὰ δὲ τὴν ἐκβολὴν τοῦ Καύστρου λίμνη ἐστὶν ἐκ τοῦ πελάγους ἀναγεομένη (καλεῖται δὲ Σελινοῦσία) καὶ ἐφεξῆς ἄλλη σύβρους αὐτῇ, μεγάλας ἔχουσα προσόδους, ἃς οἱ βασιλεῖς μὲν ἱερὰς οὔσας ἀφείλοντο τὴν θεόν, Ῥωμαῖοι δ' ἀπέδωσαν. πάλιν δ' οἱ δημοσιῶνα βιασάμενοι περιέστησαν εἰς ἑαυτοὺς τὰ τέλη, πρεσβεύσας δὲ ὁ Ἀρτεμίδωρος, ὡς ψησι, τὰς τε λίμνας ἀπέλαβε τῇ θεῷ καὶ τὴν Ἡρακλεῶτιν ἀφισταμένην ἐξενίκησε κριθεῖς ἐν Ῥώμῃ. cf. Schulten de convent. civ. R. p. 30: sub Pio invenimus (Brit. Mus. III, 2, p. 167) «conductores publici piscatus»: «τοὺς ἐπὶ τὸ τελώνιον τῆς ἰχθυοκῆς πραγματευομένους». dedicatur τῇ Ἐφεσίων πόλει et collegio isti.

⁶¹¹) Verr. III, 11, 27.

testatur refertam esse cum negotiatorum, aratorum, pecuariorum romanorum, tum etiam publicanorum, quos M. Fonteii causae uno animo omnes suffragari praedicat ⁶¹²). hi publicani, cum frumenta Gallica ⁶¹³) exigenda conducere non possent, certe aratorum, qui agro publico fruebantur, vectigalia scripturasque pecuariorum exercebant ⁶¹⁴). iam Galliae portus locari solitos esse nemo negabit, praesertim cum in ipsa provincia a Fonteio vini quaedam portoria instituta locataque esse videat ⁶¹⁵). quin etiam in ceteris Galliis portoria non nulla aliaque vectigalia Galli ipsi locare conducere solebant ⁶¹⁶), quae postea publica populi Romani facta esse veri simile est ⁶¹⁷).

§ 9.

Bithyniam iam ante quam sub imperium caderet populi Romani, et quidem a. 651, plenam fuisse publicanorum Romanorum ab iisque vexatam esse memoriae traditum est ⁶¹⁸). videntur igitur Asiae potissimum publicani vectigalia quae Bithyniae civitates Nicomedi regi pendebant, redimere consuesse a Bithynis. in provinciae vero formam redacta Bithynia publicanorum praeda penitus facta est ⁶¹⁹). quos quo animo receperit, inde colligi potest, quod a. 570 et aliae civitates non invitae se Mithridati tradiderunt ⁶²⁰), et Heracleae Ponticae cives publicanos, qui ad vecti-

⁶¹²) Cic. p. Font. 5, 11, 12; 20, 46.

⁶¹³) Cf. p. Font. 4, 8; 6, 13.

⁶¹⁴) Cf. Marquardt St.-V. I p. 263.

⁶¹⁵) Cic. p. Font. 9, 19.

⁶¹⁶) Caes. de b. Gall. I, 18; III, 1.

⁶¹⁷) Cf. Boissier, Cicéron et ses amis (ed. 2) p. 266.

⁶¹⁸) Diod. XXXVI, 1: ὁ Μάριος ἐξέπεμψε πρὸς Νικομήδην τὸν τῆς Βιθυνίας βασιλέα περὶ βοθησίας (sc. contra Cimbro). ὁ δὲ ἀπόκρισιν ἔδωκε τοὺς πλείους τῶν Βιθυνῶν ὑπὸ τῶν δημοσίων διαρπαγέντας δουλεῖν ἐν ταῖς ἐπαρχίαις. τῆς δὲ συγκλήτου ψηφισαμένης ὅπως μηδεὶς σύμμαχος ἐλεύθερος ἐν ἐπαρχίᾳ δουλεύῃ καὶ τῆς τούτων ἐλευθερώσεως οἱ στρατηγοὶ πρόνοιαν ποιῶνται, τότε κατὰ τὴν Σικελίαν ὄν στρατηγὸς Λικίνιος Νερούας ἀκολούθως τῷ δόγματι συγνοὺς τῶν δούλων ἠλευθέρωσε κρίσεις προθεῖς, ὡς ἐν ὀλίγαις ἡμέραις πλείους τῶν ὀκτακοσίων τυχεῖν τῆς ἐλευθερίας. cf. Drumann IV p. 197.

⁶¹⁹) Cf. Cic. de imp. Pomp. 2, 4 sq.: equitibus Romanis—afferuntur ex Asia cotidie litterae, quorum magnae res aguntur in vestris vectigalibus exercendis occupatae; qui ad me—causam rei publicae periculaque rerum suarum detulerunt: Bithyniae, quae nunc vestra provincia est, vicos exustos esse compluris; regnum Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus, totum esse in hostium potestate.

⁶²⁰) Plut. Lucull. 7: (Μιθριδάτης) ἐνέβαλεν εἰς Βιθυνίαν, τῶν πόλεων αὐτῆς ἀσμένως ὑποδεχομένων οὐ μόνον τούτων, ἀλλὰ καὶ τὴν Ἀσιάν ὅλην ὑποτροπῆ τῶν ἔμπροσθεν νοσημάτων εἶχεν ἀφόρητα πάσχουσαν ὑπὸ Ῥωμαϊκῶν δανειστῶν καὶ τελωνῶν.

galia exigenda eo venerant, interemerunt ⁶²¹). fruebantur Bithyniae publicani cum ceteris vectigalibus, de quibus nihil constat, tum agris, qui regii fuerant ⁶²²), fodinisque sandaracae ad Pompeiopolim Ponticam sitis ⁶²³), societatem Bithynicam Crassipedi Bithyniae quaestori Cicero commendat exque ceteris societatibus constare ait; cuius societatis tum in operis erat Cn. Pupius, magistri munus P. Rupilius P. f. Men. sustinebat ⁶²⁴).

§ 10.

Cyrenis atque in Creta non defuisse publicanos satis constat. nam et huius insulae cotorias locasse C. Caesar traditur ⁶²⁵), et de Cyrenensibus publicanis meminit Cicero ⁶²⁶), quibus ibi in primis pascuis publicis ⁶²⁷) omninoque publico agro ⁶²⁸) fruendi facultas erat. accedunt alia Cretensium vectigalia, quibus a. 710 locupletissimae illius insulae civitates liberatae esse inveniuntur ⁶²⁹).

§ 11.

Ciliciae publicanorum memoria antiquissima contineri videtur in lege Antonia Termensibus data a. 683 (nam Pisidiam tum Ciliciae attributam fuisse veri simile est), in qua lege ita cavetur: quam legem porto-

⁶²¹) Memnon. 38, 2 (Mueller fragm. hist. Gr. III p. 545): τὴν Ῥωμαίων ἀπέχθειαν ὁ Ἡρακλεώτης δῆμος ἐκτῆσατο. δημοσιωνίας δὲ τῶν Ῥωμαίων ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι καθιστάντων, καὶ τὴν Ἡράκλειαν διὰ τὴν εἰρημένην αἰτίαν ταύταις ὑπέβαλλον. οἱ δὲ δημοσιῶναι πρὸς τὴν πόλιν ἀφικόμενοι παρὰ τὰ ἔθνη τῆς πολιτείας καὶ ἀργύριον ἀπαιτοῦντες τοὺς πολίτας ἐλόπουον ἀρχὴν τινα δουλείας τοῦτο νομίζοντας. οἱ δὲ, διαπρεσβεύσασθαι θέον πρὸς τὴν σύγκλητον ὥστε δημοσιωνίας ἀπολυθῆναι, ἀναπειθόντες ὑπὸ τινος θρασυτάτου τῶν ἐν τῇ πόλει τοὺς τελῶνας ἀφανεῖς ἐποίησαν, ὡς καὶ τὸν θάνατον αὐτῶν ἀγνοεῖσθαι.

⁶²²) Cic. de l. agr. II, 19, 50: adiungit agros Bithyniae regiones, quibus nunc publicani fruuntur.

⁶²³) Str. XII, 3, 40, p. 562 C.: κάτασθα δ' ἀπεδείχθη πόλις ἡ Πομπειούπολις ἐν δὲ τῇ πόλει ταύτῃ τὸ σανδαρακουργεῖον.—τὸ δὲ σανδαρακουργεῖον ὄρος κοιλόν ἐστίν ἐκ τῆς μεταλλείας, ὑπερφυθότων αὐτὸ τῶν ἐργαζομένων διώρουξί μεγάλας. εἰργάζοντο δὲ δημοσιῶνα μεταλλευταῖς χρώμενοι τοῖς ἀπὸ κακουργίας ἀγοραζομένοις ἀνδραπόδοις.—καὶ δὴ καὶ ἐκλείπεσθαι συμβαίνει πολλάκις τὴν μεταλλεῖαν διὰ τὸ ἀλυσιτελές, πλειόνων μὲν ἢ διακοσίων ὄντων τῶν ἐργαζομένων, συνεχῶς δὲ νόσοις καὶ φθοραῖς δαπανωμένων.

⁶²⁴) Cic. ad fam. XIII, 9.

⁶²⁵) Dig. 39, 4, 15 pr.: Caesar cum insulae Cretae cotorias locaret, legem ita dixerat: ne quis praeter redemptorem post Idus Martias cotem ex insula Creta fodito neve eximito neve avellito cet.

⁶²⁶) Cic. p. Plane. 26, 63: idem effers Laterensem laudibus—Cyrenis liberalem in publicanos, iustum in socios fuisse.

⁶²⁷) Cf. Plin. n. h. XIX, 3, 39: multis iam annis in hac terra non invenitur (silphion), quoniam publicani, qui pascua conducunt, maius ita lucrum sentientes depopulantur pecorum pabulo.

⁶²⁸) Cic. de l. agr. II, 19, 51.

⁶²⁹) Cic. Phil. II, 38, 97.

rieis terrestribus. maritumeisque Termenses maiores Phisidae capiundeis intra suos fineis deixserint, ea lex ieis portorieis capiundeis esto, dum nei quid portori ab ieis capiatur, quei publica populi Romani vectigalia redempta habebunt; quos per eorum fineis publicanei ex eo vectigali transportabunt [fructus, eorum portorium Termenses ne capiunto]⁶³⁰).

A. 700 Cicero P. Lentulo, qui Ciliciam Cyprumque obtinebat, suadet ut publicanorum ordinem sibi reconciliaret⁶³¹), quorum rem voluntatemque decretis suis⁶³²) offendisset. — a. 703 Cicero, cum Ciliciae praeset, publicanis ita obsecutus est, ut tamen ne cui molesti essent efficeret⁶³³). qua aetate constat illos portum scripturamque habuisse⁶³⁴), civitatum fructus, certo stipendio Ciliciae imposito, non habuisse, nisi quod per se ipsi ὠνάς a Graecis emerant⁶³⁵).

A. 706 Pompeius in Ciliciam atque inde Cyprum pervenit. ibi cognoscit consensu omnium Antiochensium civiumque Romanorum, qui illic negotiarentur, arcem

⁶³⁰) V. 31 sqq.

⁶³¹) Cic. ad fam. I, 9, 26: accopi tuas litteras de publicanis, in quibus aequitatem tuam non potui non probare; facilitate quidem vellem consequi potuisses, ne eius ordinis, quem semper ornasti, rem aut voluntatem offenderes. equidem non desinam tua decreta defendere; sed nosti consuetudinem hominum, scis quam graviter inimici ipsi illi Q. Scaevolae fuerint; tibi tamen sum auctor, ut, si quibus rebus possis, cum tibi ordinem aut reconcilies aut mitiges: id etsi difficile est, tamen mihi videtur esse prudentiae tuae.

⁶³²) Legis a P. Lentulo datae mentionem Cicero facit in ep. ad fam. XIII, 48.

⁶³³) Cic. ad fam. III, 8, 4 (ad Ap. Pulchrum): Romae composui edictum; nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me venissent, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum. ad Att. V, 13, 1: verum tamen decumani quasi venissem cum imperio, Graeci quasi Ephesio praetoris se alacres obtulerunt: ex quo te intellegere certo scio, multorum annorum ostentationes meas nunc in discrimen esse adductas; sed, ut spero, ut murea palaestra, quam a te didicimus, omnibusque satis faciemus, et eo facilius, quod in nostra provincia confectae sunt pactiones (cf. adn. 224). V, 14, 1: interea haec mihi, quae vellem, afferebantur: primum, otium Parthicum, dein confectae pactiones publicanorum. V, 15, 3: tu autem saepe dare tabellariis publicanorum poteris per magistros scripturae et portus nostrarum dioecesium. VI, 1, 15 sq. (v. adn. 492): de publicanis quid agam videris quaerere: habeo in deliciis, obsequor, verbis laudo, orno; efficio ne cui molesti sint.—omnes ita mihi familiares, ut se quisque maxime putet. sed tamen μηδὲν ἀύτοις: scis reliqua. VI, 2, 5 (adn. 489).

⁶³⁴) Cic. ad Att. V, 15, 3.

⁶³⁵) Cic. ad fam. III 8, 5; ad Att. V, 16, 2. cf. adn. 224.

captam esse excludendi sui causa. — quibus cognitis rebus deposito adeundae Syriae consilio, pecunia societatis sublata — duobusque milibus hominum armatis, partim quos ex familiis societatum delegerat, partim a negotiatoribus coëgerat, quosque ex suis quisque ad hanc rem idoneos existimabat, Pelusium pervenit ⁶³⁶).

§ 12.

Syriae A. Gabinus cum praesesset (a. 698), in maximum odium publicanis venit, qui ab illo se iniuriose tractatos esse postea in senatu questi sunt ⁶³⁷). idem C. Rabirio Postumo mandavit ut pecunias Syriae imperatas cogeret; quarum pecuniarum ille sibi decumas coëgit ⁶³⁸). a. 705 Q. Caecilius Metellus Scipio Syriae civitatibus tyrannisque magnas imperavit pecunias, item a publicanis suae provinciae debitam biennii pecuniam exegit et ab iisdem insequentis anni mutuum praecepit ⁶³⁹).

⁶³⁶) Caes. de b. c. III, 102, 103.

⁶³⁷) Cic. de prov. cons. 5, 10 sqq.: iam vero publicanos miseros—tradidit in servitutem Iudaeis et Syris.—statuit ab initio et in eo perseveravit ius publicano non dicere; pactiones sine ulla iniuria factas rescidit; custodias sustulit; vectigali multos ac stipendiarios liberavit; quo in oppido ipse esset aut quo veniret, ibi publicanum aut publicani servum esse vetuit.—itaque, patres conscripti, videtis non temeritate redemptionis aut negotii gerendi inscitia, sed avaritia superbia crudelitate Gabinii paene afflictos iam atque eversos publicanos cet. in Pis. 17, 41: nam ille—cum equites Romanos in provincia, cum publicanos nobiscum et voluntate et dignitate coniunctos omnis fortuna, multos fama vitaque privasset,—ausus est a senatu supplicationem per litteras postulare. 21, 48: effusa iam maxima praeda, quam ex fortunis publicanorum—exhauserat. de harusp. resp. 1, 1: putavi mihi reprimendam esse P. Clodii impudicam impudentiam, cum is publicanorum causam stultissimis interrogationibus impediret. ad Q. fr. II, 11, 2 (a. 700): eodem igitur die Tyriis est senatus datus frequens, frequentes contra Syriaci publicani. vehementer vexatus Gabinus, exagitati tamen a Domitio publicani, quod eum essent cum equis persecuti. C. noster Lamia (ipse publicanus?) paulo ferocius, cum Domitius dixisset «vestra culpa haec acciderunt, equites Romani: dissolute enim iudicatis», «nos iudicamus, vos laudatis» inquit. actum est eo die nihil; nox diremit. III 2, 2: cum vellet exire (Gabinus), a consulibus retentus est; introducti publicani.—me trementi voce exulem appellavit. hic—consurrexit senatus cum clamore ad unum, sic, ut ad corpus eius accederet; pari clamore atque impetu publicani. D. Cass. XXXIX, 59. και οί Σύροι πολλά τοῦ Γαβινίου ἄλλως τε καί ἐν ἀπουσίᾳ αὐτοῦ δεινῶς ὑπό τῶν ληστῶν κακωθέντες κατεβόησαν, οἱ τε τελῶνα μὴ δυνηθέντες τὰ τέλη δι' αὐτοῦς ἐσπράξαν συχνά ἐπωφείλησαν, ὀργίζοντο καί γνώμας τε ἐποιούντο καί ἐτοίμως εἶχον καταψηφίσασθαι αὐτοῦ.

⁶³⁸) Cic. p. Rab. Post. 11, 30 sq.

⁶³⁹) Caes. de b. c. III, 31.

Agri publici vectigalia habuisse Syriae publicanos colligimus ex vectigalium Syrorum commemoratione Tulliana ⁶⁴⁰), portoria eosdem exercuisse ex custodiarum mentione a Cicerone facta ⁶⁴¹) itemque ex Plinianae aetatis quibusdam testimoniis ⁶⁴²). stipendiariis denique liberatis Gabinium publicanorum rem quodammodo offendisse ita Tullius significat, ut ne harum quidem exactionum illos plane expertes fuisse suspicari liceat ⁶⁴³).

Iam extremo loco colligere animo iuvat genera vectigalium, quae liberae rei publicae aetate a publicanis exerceri solita esse reperiuntur ⁶⁴⁴). atque in primis portus et scriptura a censoribus usque quaque fruenta locabantur publicanis. accedunt Asiae decumae omniaque populi Romani metalla, nisi quae omnino erant derelicta. quid loquar de lacubus fluminibus, picariis salinis ⁶⁴⁵)? namque omnino agro publico cum in Italia tum in provinciis fruebantur publicani, partim ut ab aratoribus pecuariisque vectigalia quae populo debebantur exigere, partim ut ipsi quae populi praedia facta erant, ut metalla agros ⁶⁴⁶) pascua ⁶⁴⁷), exercerent. quin etiam piscatus maritimi inveniuntur conductores ⁶⁴⁸). vicesima libertatis quin locari solita sit, quamvis certa eius rei testimonia nulla sint, dubitari tamen minime potest ⁶⁴⁹), praesertim cum in titulo Numidico, de quo supra diximus, mentio fiat vicensumariorum ⁶⁵⁰); quod quidem publicum qui habebant conductum, haud scio an ab illis societatibus, a quibus quae ante commemoravimus vectigalia exercebantur, numquam non fuerint alieni ⁶⁵¹). iam mancipum diversa genera ab ipsis publicanis plerumque sunt distinguenda: qui sunt partim decumarum mancipes Sicilienses, qui Siculorum lege in ipsa provincia decumas conduxerant, partim agro-

⁶⁴⁰) Cic. prov. cons. 5, 10 (adn. 637).

⁶⁴¹) Cic. l. l.

